





6
19-b
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 A
60
6-19.b.92









# POEMATA
# BARONI.


ORATORIA
alit vbere foetus
METRA
MISCELLANEA
AVTHORE
FR. BONAVENTVRA BARRON
Ord. Minorum Strictioris
Hyberno
IN ROM. S. ISIDORI COLL
PROFESSORE

# METRA
## MISCELLANEA.

Siue Carminum
diuerſorum



LIBRI DVO.

EPIGRAMMATVM VNVS,
SYLVVLÆ SECVNDVS.

*Acceſſerunt Eulogia aliquot Illuſtrium Heroum.*

Authore
P.F. BONAVENTVRA
BARONIO,
Ordinis Minor. Strict. Obſeruantiæ
in Romano Collegio S. Iſidori Profeſſore, Hiberno Clonmelienſi.

---

ROMAE,
Typis Ludouici Grignani. 1645.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

# ILLVSTRI S. P. Q. WATERFORDIENSI.



## Vrbs inclita.

*CVM acceperis vouisse me primum ingenij mei partum illi Vrbi à qua patrem accepi; ipsa vtique, quæ parentem meam peperisti, expectabis alterum istum, & credes quia* de industria seruatus est tibi. *Certè Musæ aliquid præferunt muliebre; & ad numeros moueri vix est virile. Accedit, quòd ego apud Te si minus satus, sim certè excultus his præsertim amœniorum litterarum disciplinis. Vnde iam, & officio meo, & tuo iure.* 1. Reg. 9 v. 24.

Quæ didici reddo carmine;
(*digna*) Tibi.

*Viuite magnæ Vrbis magni Senatores, dignissimi accepta vsura liberæ religionis, quam vos hactenus indemnem etiam cum libertatis damno seruastis. Vale* (Vrbs intacta) *& ignosce tam parce propinanti Pierios latices; Tibi enim interim peperci. Vidi in metris meis non modo non esse operæ tuæ precium, sed nec otij. At enim vt horreant, & errent, sed sibi constant; quid enim aliud à Syluâ expectandum? VV. ex meo Musæo in S. Isidori Roman. xvj. Cal. Septembris* 1644.

Illust. DD. VV.

*Conciuis, & seruus*

*Fr. Bonauentura Baronius.*

AMI-

# AMICE LECTOR.



ARDE (inquies) obſtrictam tibi fidem eximo; ſed quidni tardè gradiar, qui adfero pedes ligatos? Et verò ſi minus illos, manus ſaltim altiori operi illigaui, cui eas detrahere, nec ſi auſim, poſſim; nec ſi poſſim, velim. Sed enim (vt audies?) vel ideo illas debui detrahere; hoc eſt, quia non vaco vacare: ANIMVS obſtinato ſtudio immobilis, velut lunatus arcus, ſibi equuleus eſt. Vnde ego ſuſpenſo ſub inde diuinorum commento, ludibundum ad hæc ſtylum demitto, quadantenus negati Heliconis hoſpes, inter Vrbis muralem obſidionem ciuicè ruſticatus. Sua ſingulis

*Author interim ſcholaſticæ Theologiæ lectione occupatus.*

palata sunt: Alijs Dionysia arridēt; mihi Apollinarea. Apostolus aliquis auicula se oblectabat, Augustus muscis, ego Musis, quarum non debui horrere hospitium, quasi minus castè, aut cautè ibi exciperer, vbi agnosco non iam chorum, sed Senatum illustrium heroum quum scientia, tum sanctitate: Gregorij Episcopi, etiam titulo Theologi, Arati Cardinalis, Damasi Papæ; & compendio contractos omnium titulos in modernum, dignè æternum Ecclesiæ Pontificem Vrbanum VIII. qui gradus omnes pressit Musis comitatus. Quid quòd spiritus Dei dignatus est in huiuscemodi seriò ludere; & quomodo alias iurat nobis ipse per quē iuramus: ita hic placuit ei Poetarum auctoritate suam con-

Cassian. ca. 1. co. 24. Sueton. in Domit.

S. Scrip. poetar. carminibus vsa; Menandri. 1 Cor. 15 Mened. 1 Tit. 2. Arati. Act 17. 29.

confirmare. Turpe ergo fuerit oportet quod lusit Alexander, cui Philippus pater ait pudendum esse, quod bene caneret; quum Rex Dauid in suis laudibus diuinitus audiuerit *egregius psaltes*. Quanquam mihi admodum huic aurium obsonio vacare, nec si libeat, licet: vellicatim etenim & cursim cano, quadã interim incuria curiosus. Sed NEMO reip. vtilior quã cuius ocia sunt vsui. Cæterùm, quoniam etiam ludus legi est obnoxius; moneo, me propriorum nominum quantitatem subinde extulisse communem: quod tamen volo videri non errore, sed iudicio egisse, etiam exemplo. Quidni enim illa arbitrio trutinem, quo sunt instituta? Certe vulgus doctorum Hilarionis antepenultimam

Plutarc. in proc. vit. Peric.

2. Reg. 23. v. 1.

Sidon. in Eucharist. ad Faustum.

 mam

mam corripit, Sidonius mecum producit, quamquam etiam regula refragetur, quæ *Vocalem breuiat alia subeunte*; ideo vtique, quia propria judicauit esse irregularia. Aliàs etiam exempla huiusdem sub censum non cadũt, iam numero innumera. Videndi ipsi archipoetæ, qui eadem elementa in eiusdem repetito nomine diuersim diducunt. Hos scio nemo volet carpere; me nemo debet: si quis autem ausit; respondebo: ***patere me cum talibus errare.*** Ipsam optionem feci in Græcarum dictionum prosodia, quarum nonnullas latine vers.s variaui, vt cuius idiomatis qualitatem exuerent, etiam quantitatem dissimularent. Sed etiam obstinata illa Hebræorum vocabula, & in ca-

Ioann. Disput. prosod. reg. 1.

Ouid. 6 Fast. 2. 768 Claud. de Bel Gil v. 91 Catull. de nup. Pelei, &c.

S Hier. Epist. 79 tom. 2.

ſu ſuo mutè liquenita cicuraui; vt hic etiam experiantur ſe Cæſarem regem habere, quod eſt Romani cantus legibus obligari. Quid quòd ius mentiẽdi Muſæ fecerũt? quod tamen iudicaui magis in materia, quàm in forma ferendum. Idque ad aras (vt aiunt) & ad Sãctorum vſque celebritatem: quibus ſi quos interim aggregaui Beati prę-nomine, aut pari; hic teſtatum volo, velle me eo ſtylo hiſtoricam tãtum, & humanam fidem captare, non eam omnino, quæ quempiam ad Catholicæ Fidei canonem adſtringat. V.



# Reuerendisſime Pater.

VIdi *Metra Miſcellanea* duobus Libris contenta Adm. R.P.Fr.Bonauenturæ Baronij Ordinis Minorũ ſtrictę Obſeruantiæ, in Romano Collegio Sancti Iſidori profeſſoris Hiberni. Nihil habent contra ſanã doctrinam, & bonos mores; multa verò, quæ, extorta Ethnicis poetis palma, & ad ſacratiores Muſas traducta; lectoris animum pia voluptate oblectare queant. Quare digna cenſeo, quæ publici iuris facta, cum laude authoris legantur. Romæ 2. Octobris 1644.

*Melchior Inchofer Societatis Ieſu.*

Fa-

# Facultas Ordinis.

O*Pus, cui titulus inſcribitur* Metra Miſcellanea *à R. Patre Fr. Bonauentura Baronio in noſtro Collegio S. Iſidori de Vrbe, S. Theologiæ profeſſore primario elaboratum, & à Theologis eiuſdem Collegij, quibus id ſpecialiter commiſimus, reuiſum & approbatũ, vt typis detur (quod ad nos attinet) licentiam concedimus. In quorum fidem has noſtro chyrographo, & officij ſigillo munitas damus Romæ ad Aram-cœli 14. Octobris 1644.*

Fr. Gaſpar Sanchez Proc. Gen.

*De mandato ſuæ R. A. P.*

Fr. Bonauentura Mihanus Curiæ Secretarius.

Im-

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

Imprimatur,

*Si videbitur Reuerendiſs.P.Mag. Sac. Palat. Apoſt.*

Alphonſus Sacratus Epiſcop. Comaclen. Viceſg.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

*Imprimatur;*

Fr. Hyacinthus Serronius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Michaelis Mazarini, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſt. Ord. Prædic.

# Elenchus

## LIBRI PRIMI EPIGRAMMATVM

Sex titulis conſtat.

*Primus canit Theologica.*

II. *Theandrica.*
III. *Parthenia.*
IV. *Heroica.*
V. *Satyrica, & Saturnalia.*
VI. *Epitaphia.*

*Primo, & poſtremo addita eſt ſua ſingulis Elegia.*

PRO-

# PROGRAMMA
# LIBRI PRIMI.



QVÆ turgētib⁹ hinc, & hinc maniplis
Insulsis Epigrammatum malorum
Magnū Bilbilis induit cothurnum,
Audax addere Musa Martiali?
Quis his inuolat inquietus ausis?
Qui nanus petit impotens Colossū?
Et rauco strepit anser eiulatu
Caystri melos elegantis vndæ;
Meandrique bimurmurantis odas,
Qua clangentibus inde & inde ripis
In certos olor euomit dolores?
Docte Iuppi[illegible] [illegible].
Tundis carmine [illegible] carinen,
Radis pumice: Sic Apollinaris
Laurus nomine frondeo superstes
In priscis semel aruit poetis.
At ne quid sine talione tundas,
Mi Mastix: Mihi non tument cedrorum
Sequaces hederæ; sed imminente
Tam rauco tonitru, meus libellus
Castrensi piger hactenus palestræ;
Dum trunco pede CLAVDIANVS isset
Irritantibus, irruentibusque
Nasi Rhinocerontici cauillis
Musæ debuit esse MARTIALIS.

EPI-

# EPIGRAMMATVM LIBER


## TITVLVS PRIMVS

# Theologica.

### I.

### Christus æterna generatione editus. Ad illud Ioann. I.

*Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*



OLVIT inauditum paritura silentia verbum,
Et noua facundum fœtat origo PATREM.
Nascitur, & Diuo deuincit AMORE parentem.
Et NATVM alterno vincit amore parens.
Insidet hic geminis medius: simul editur, edit;
Et maiestatem datque, capitque suam.
Cælibis ore satus, spirando in Pneumate, Patri
Præstat anhelanti partus anhelus opem.
Nil moror, integram si pertulit ergo parentem;
Virgineum didicit ferre, referre sinum.

## II.
## DE INCARNATIONE Dominica, super illo eiusd. ib.

*Omnia per ipsum facta sunt, & Verbum caro factum est.*

PRincipio cælumque Deus, cælique parauit
Quà vaga, quà tereti sidera fixa tholo.
Tum graue Terräi cêtrum, & freta lubrica fudit,
Et stare tum didicit terra, natare fretum.
Et geminos vtraque greges statione locauit,
Quadrupedis tellus, pars mare piscis erat.
Prona tamen patriam petiere animalia terram,
Quodque procaretur sidera, deerat homo.
Factus homo est: simul is similis stupidis iumêtis
Sidit humi, atque alia bis vice deerat homo.
Factus homo est hominum figulus: pro plasmate (tali
Naturæ voluit factilis esse faber.

## III.
## EIVSDEM CHRISTI DOMINI Natiuitas temporaria ex Virgine Matre.

MVsa quid hoc monstri est? vt origine gaudet origo?
Et resilit totum à parte, parente parens?
A *Ioue principium* numerauit Ephemeris olim:
Iamque repubescens in Ioue principium est.
Sic nasci Natura potest? sic crescere fastis
Fata, volubilibus texta, retexta glomis?
Pone supercilium: meditare nouissima natis
Principijs par est meta sequuta suis.

Am-

Ambijt ipse necem: Geniti natura, necari:
Nesciret nasci, nescijt ille mori.

# IV.

## EPIPHANIA CHRISTI, & adoratio Regum Magorum.

CVm tener in stipula, & culmo prostraret Ie-
Ocius Eoos vidit adesse duces. (sus,
Viderunt supplices cunabula conscia reges
Subdere præposito cernua collo pedi.
Cum fœno fasces iacuere, bipenne secures;
Verrit inurbanum purpura prona solum.
Nec tamen excussisse dolent diademata Reges;
Pulchrior in pueri calce corona fuit.
Quamque sub *Augusto* pressit pede *cæsariem* in-
Inuidit viduæ terna tiara comæ. (fans,

# V.

## CHRISTI DOMINI Baptismus in Iordane.

ÆMonijs niuibus quæ nixa pruina sederet,
Pingeret Æmonias cassa pruina niues;
Tingere si pluuius tentet vada vitrea nimbus;
Augebit si miles irritus imber aquas.
Si rosa, si Tyrij crocus igne ruberet aheni:
Vidisses refugas hinc crocon, inde rosas.
Quàm bene nunc profugum ferat vada recipro-
ca passum,
Cum redit attonito *fœderis arca* vado?
En teneræ prætexta niues! En vitrea stagna!
Ecce verecundæ messis amœna rosæ.
En nitidas alabastra manus! En lactea colla;
Ecce pares geminæ pene pruina genæ.

Quid

Quid lauet in tanto Iordania lympha nitore?
Quid coquat in tali prodiga bruma gelu?
Num consanguineo laxata potentia Mystæ?
An renuunt veteres balnea versa vices?
Qui madet hic mundat: mūdatur qui madefactat:
Quique lauat patitur, quique lauatur agit.

# V I.
## IDEM ITERATO.

CHristus ab amne madens lauit magis ipse lauacrum:
Quam bene *baptismus fluminis* ille fuit!

# V I I.
## CHRISTI TRANSFIGVRATI gloriosus apparatus.

*Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta facta sicut nix: & vox de nube dicens: Hic est Filius, &c.* Luc. 9.

SIue suo Thabor vmbone lacessit Olympum,
Siue lacessitus Thabor Olympus erit.
Vnde paludatus radijs melioribus author
Explicuit rutilas LVCIFER ipse notas.
Illius ora legens iussu stetit igniuomus Sol,
Et toga Teutonias vincere iussa niues;
Et Charis augustum redimiuit eburnea collum,
Et sua cygnæos cinxit aluta pedes.
Alba ligustra manus tingunt, thoraca pruinæ,
Et mera fit liquidus Lunaque Solque sinus.
Cede fidē: nouus hic Phaëton noua stēmata fir-(mās,
Cognatū à patrio lumine lumen habet,
Ad-

Addit adhuc geminos animata tonitrua fratres,
(Argumenta forent, testibus esse dedit.)
Intonat ipse Pater, sonitumq; per aëra spargit,
Progeniemque suo vendicat ipse sono.
Christe, potes plures impunè remittere testes;
Vincere, vel solo teste TONANTE, potes.

## VIII.

## CHRISTVS HOSPITATVS.

*Introiuit in quoddam Castellum, & mulier quædam excepit eum in domum suam.* Luc. 11.

*Quod pasci voluit pascenti præstitit.* Aug. tom. 10. Serm. 26.

CHristus Apostolica molitus arundine prædã
Captor vt ipse foret, captus & ipse fuit.
Cui procul extorri, pulchro par fœmina facto,
Non indignandos obtulit ausa lares.
Atque ait: Indignis succede penatibus, adsis
Appendix paruæ Tu quoque parua domus.
Christe quid hoc audis? quid obaudis, & annuis ausæ?
Et capis hic geminam tertius ipse stipem?
Cuia peregrinis per inhospita tesqua colonis
Auxit inocciduas prodiga dextra dapes?
Accipis angustæ squallentia figmata mensæ,
Et subis exiguæ ferisque mapale casæ?
Scilicet vsuram meditatus es hospitis hospes:
Et fuit illius hæc ingeniosa fames.
Tanta metit modo quisquis te colligit; ergo
Non capis vt capias, vt capiare capis.

CHRI-

## IX.

## CHRISTI AD PALVM cruenta cæſio.

CHriſte quid hic pluuij tibi vulneris imber inundat?
Curue rigant bibulum ſtagna cruenta ſolum?
Parne volet paribus miteſcere Mulciber vndis?
Vt cognata iuuent, hinc color, inde calor?
Igne rubens Erebus per ahena micantia flãmis
Purpureas poſcit porphiris ardor aquas.

## X.

## EADEM FLAGELLATIO iterato ad ipſum.

FAre age Verbipotens, quid adhuc tam diuite
Impluis ingrato grata fluenta ſolo! (vena
Vnica me Stygijs cælo tenus eximet vmbris
Guttulaq; parce tuæ mortifer ipſe neci.
Plus tibi, pluſque: Mihi minus ah, minus vna dediſſet:
Guttula ſat precij, non ſat amoris habet.

XI.

# EADEM TORTVRA tertio ad eundem.

Fundis adhuc laceris animata corallia costis,
Et natat obryfis aureus imber aquis.
Digna dehiſcenti ſtillas opobalſama trunco,
Et pluis excecta ſuccina digna cute.
Quam multam moriens teſtaris amantibus aſſem,
Vt decumana ſuas dextera ſcribit opes!
Non tamen hæredis ſperes redamandus amorem
Non adamantis homo cor, Adamantis habet
Aſt (ai) ah, ſatis eſt, Adamas adamante fatiſcit,
Liquitur è calido namque cruore chalybs.
Succina ſint ſtipulæ gratum quota gutta cruentat,
Et duri Magnes magnus amoris amor.

XII,

# LVDIBRIVM EIVS in Prætorio, ad Pilatum.

Qvanta cauillandũ depectunt ſchemata regẽ!
Spina capillitium replet, arundo manum.
Perfide quã vera mẽtiris imagine Chriſtũ?
Et latet illuſtri proditus ille toga?
Vt renuas rex eſt cui ludere, pungere promptum,
Illius eſt ſceptrum virga, corona vepres.

XIII.

## OCCASIO ORTVS & mortis Christi in errore Euæ.

PRima parens seros festina nouerca nepotes
Et medios auido dente momordit auos.
Sed vetuit sua damna Deus, sibi plasma perire,
Ipseque ne possit plasma perire, perit.
En gula mortiferæ medicata dolentibus Euæ;
Si minus odisset, proderat illa minus.

XIV.

## EADEM ITERATO, Itemque error Adæ.

ALtius isse volens, alto ruit arduus Adam
Vipereo docilis præda perire dolo.
Induit ipse reum sceleri datus hostia iudex,
Risit vipereos libera præda dolos.
Quò non calcata subijsset ab aspide victor,
Quem locat in tanto tanta ruina throno?



## XV.
## CHRISTI CRVCIFIXI
### Miseriæ, Mors, Resurrectio.

ECce decussatas transuerso stipite palmas,
 Ecce duos pariter iam duo transtra pedes.
Fictile Cæsaream simulat diadema coronam,
 Implicat impexas spinea plecta comas.
In latus exanimum sæuit post funera ferrum,
 Et secat artifici labra nouella stylo.
Excidit ambrosij vigor oris; eburnea ceruix
 Pallidior buxo pallidiore riget.
Parce reo Pilate tuo; Pater enthee nato,
 Tuque notare hominem; Tuq vocare Deum
Forma hominem iam nulla negat, vox nulla Tonantē:
 Vtraque sic absunt & genus, & species.
Perge tamen Pilate, Pater tua pignora perge,
 Tuq. notare hominem; Tuq. vocare Deum.
Cæsus enim superest sibi posthuma victima; cędē
 Sic tolerare, hominis; sic superare, Dei est.

## XVI.
## ASCENDENS CHRISTVS
### in altum.

ECce triumphatis Mūdo, Styge, Morteq. Christus
 Alligat æthereo digna trophæa tholo.
Rursus odoratum reparat Phænica sepulchrum,
 Succedit patrio nata fauilla polo.
Parte viæ meliore gigas quibus extulit olim,
 Ad sua fert reducem lætior astra gradum.
Itque, reditque vias, notos secat arduus Orbes,
 Et liquidum sicco remige tranat iter.
I, mirare graui subigentem Nerea plantę:
 Mira magis celeri substicit aura pedi.

XVII.

# EADEM ASCENSIO, iterato.

SVrgit in Empyrei Cæsar Capitolia cliui,
Et secat immotos mobilis ipse polos.
Sub pede cælicolas locat igne liquentior ignes,
Tranat lactentem lactea planta plagam.
Ad sacra decidui prostrant vestigia venti,
Et torpent vetito murmura muta sono.
Prona peregrinos mirantur sydera soccos,
Lambunt præpositos Lunaq. Solq. pedes.
Cuius adoratæ subitant altissima calci,
Summates redimet quanta corona comas?

XVIII.

# PENTECOSTES SPIRITVS Sancti, in illud:

*Factus est è cælo sonus, & apparuerunt linguæ.* Act. 2.

ORba parēte patens decumano Ecclesia cēsu
Dum numerat quinto quinq bis orbe dies;
Intremuere pij, gemitumq. dedere penates,
Et tutudit similem mobilis aura larem.
Muta superfusis sonuere silentia linguis,
Credita facundo garrula turba mero est.
Error erat; nec erat: flabro sonuere diserta
Ora MERO; ergo error ne foret, error erat.
At modo fælici madeat mihi vena falerno,
Ebrius esse puter; sobrius esse prober.

VTRVN-

XIX.

# VTRVMQVE IN VNVM,
## Aſcenſio Chriſti, Pentecoſtes Spiritus ſancti.

SCandit in attoniti Chriſtus latera ardua cæli,
Et petit infernum Pneumatis aura ſolum.
Alter in alterius ſtata centra reciprocus intrat,
Subſilit iſte ſuo, deſilit ille ſtatu.
Has hic, & ille illas Deus itq. reditq. lacunas,
Et facit Antipodas obuius ipſe ſuos.
Ignibus ille ardet, liquidumq per aëra ſidit,
Et cadit optando prona fauilla polo.
Hic leuis elato cinerem ſuperaddit Olympo,
Et fugit agnata labile pondus humo.
Prompta fides carnem, liquidumq. volaſſe cruorē:
Aduerſo properant Ignis, & Aura ſolo,

XX

# SACRAMENTVM
## Corporis Chriſti.

INfera Hieruſalem cur inuidioſa ſupernæ,
Cur dolet ereptum non viduata virum?
Sponſus vtriq. ſuus; Deus vnus vtramq. maritat;
Aſpicit iſta ſuum, conſpicit illa virum.
Illa videt propria, videt hæc ſub imagine panis;
Quem tenet hæc, tegitur; quem tenet illa, patet.

# ELEGIA.

## DE PRODIGIIS, QVÆ in morte Redemptoris terram terruerunt.

*MVsa mihi casus memora, quî Numine læso*
Carnifices mundi dissoluere manus.
Namque vbi ferali defixus stipite Christus
Imbuit infestam victima cruda Crucem;
Ambitiosa necis petijt Natura perire,
Et tetulit reducem per Chaos orsa gradum.
Bina bis alternis elementa rebellia luctis. (CO.
TERRA FRETO titubãs obstitit, AVRA FO-
Incita terribili gemuit maris vnda boatu,
Vnda repercusso vociferata salo.
Infremuere vagi, per aperta, per inuia, venti;
Et ruit attonito sicca procella solo.
MATERIES defũcta manu PLASMANTIS, &
Stagnauit sterili pigra lacuna sinu. (arte
FORMA suam formam: color exuit ipse colorẽ
Et doluit tripodes trunca quadriga rotas.
Quadrupedante furens FINIS ruit vndiq. funere
Et prope causarum prima, suprema fuit.
Cæruleum rapidi crepuere per aera bombi,
Et coniuratam perdidit Orbis opem.
Nempe sui,(ah quis nẽpe sui) faber orbis IESVS
Non potuit Mundo non moriente mori.
Prima peregrino scelus indignata fragore
Nutauit tremulo pendula terra solo.
Quæ maris indomitam sistit centrũ graue spumã
In circumfluidis fluxa natauit aquis.
Nec minus immanes reserata voragine cryptas
Pauda dehiscenti prodidit antra sinu.

Cor

Cos, & dura pio liquefacta Ceraunia planctu
Monstrarunt lacrymas mollia saxa suas.
Cæca peregrinis patuerunt antra cauernis
Diuiduos medio marmora scissa sinus.
Ipsaq. læthiferi gula non satiabilis Orci
Euomuit reduces pabula viua Patres
( O male diuinum mors depopulata cadauer
Sæuisti telis in tua damna tuis.
Ecce tot vnius rapuit tibi funera funus,
Spolia refers lucro perniciosa suo.)
Vltima læthalem celebrarunt sydera scenam
Lucifugas tragico picta dolore genas
Sol noua Phrixeo metatus in Ariete signa
Dum medium in magno fornice haberet iter;
Æqua Thyesteæ miratus symbola cœnæ
Damnato vetitos Orbe retraxit equos;
Et ferrugineo radios obscurus amictu
Non expectatæ Cynthia noctis erat.
Ipsaque iam refugo temerè soror obuia Phœbo
Paret opacanti, & reddit opaca vicem.
Parhasis obducta latuit nitor aureus Arcto
Pæneq. præpositas pænè subiuit aquas.
Cætera stellato fax interfusa theatro
Siue premat rectum, siue recuruet iter.
Candida nigranti conuoluit lumina peplo,
Fruit authori concolor ostra suo.
Solus homo tulit hæc diuina pericula sospes,
Possumus & siccis nos cecinisse genis.
Christe graues hominum fato dignate labores
Cuius ab exequijs mors moribunda dolet;
Deme meo carnis concreta coagula cordi,
Deme mihi duro carnea corda sinu.
Da (bone) diductæ genium telluris; hiabo,
Et ferar in lacrymis naufraga terra meis
Sim specus exanimis; magis ah magis inde fati-
Et minus in duro marmore, marmor ero. (scã

# TITVLVS SECVNDVS.

# Theandrica.

## I.

## S. IOANNES EVANGELISTA ferventi ollæ immerſus emergit incolumis.

QVA vetus indigenis aperit ſe Roma Latinis,
Et Capitolini ſcanſilis vmbo iugi;
Pathmius hàc in ahena Pater ſtridentia fidens
Deſtituit ſolida ſiccus ahena fide.
Commiſere minas ſimul Ignis, & vnda, ſed illi
Submiſere ſuas Ignis, & vnda minas.
Portentum legiſſe putas; n que crede legenti;
Debita ſeruati palma pudoris erat.
Scilicet immixtus medio crepitantis oliui
Virgineas medius miſcuit ille niues.



II.

# AD S. BARTHOLOMÆVM Apoſtolum, martyrio excoriatum.

QVis tam concordi, quis tam crudele tyrānos
Imbuit arte oculos, induit enſe manus?
Poſſe videre homines hominem, nec parcere poſſe;
Quin conſanguineam paſcere cæde ſitim?
Macte tamen Martyr: nequijſti impune perire,
Stat tibi tortoris talio ſalua tui
Exuit ipſe ſuam, & potuit fera cruda videri,
Qui tibi concretam iuſſit abeſſe cutem.

III.

# AD EVNDEM, IN ILLVD. Ioan. I.

*Ecce verus Iſraëlita.*

SAlue certa patrum proles, genus vnde Iudæū,
In circumciſa certus Apella cute.
Sed nec Apoſtolicum mittis moribūdus honorē;
Purpurea tingit Te laniena toga.

# IV.

## SANCTVS GREGORIVS Nazianzenus cælitus à diuis Virginibus visitatur.


QVà videt Eoi cognomina Cæsaris hospes
Mœnia, Cappadocum de grege Gregorius,
Pontica quem supplici circumstetit infula
Cui cessit titulos Theiologia suos;. (quæstu
Quo non eloquio quis rostra beauit Achiuo,
Quo non Pegasiæ plus bibit alter aquæ:
Assiduis pingens mansura volumina Musis,
Pernox in simili, perdius arte stetit.
Cum simul augustæ Regina caterua puellæ
Cinxit inexpertum non abigenda latus:
Os humerosque Dijs similes; ea gratia formæ,
Sic sua virgineo fulsit in ore Charis
Aurea syderibus coma cincinnata volutis,
Et via cuiq. suæ lactea frontis erat.
Candida Theutonias vmbrassent colla pruinas,
Tiuxissent rutilas bella labella rosas.
Pallada, Iunonem, Veneremque redisse putares
Arbitrio formæ numina nuda suæ
At modo nulla suæ retulit discrimina formæ:
Omnibus vnius lis fuit vna viri.
Gregorius certamen erat, quem diuite censu
Restituit Phrygium bella puella Parim.
Colla manusq. viri, lambunt, colloque manuq.
Multiplicant geminis basia multa genis.
Attonitum subit ira senem, renuitq. teneri;
Et repulit celeri colla manusque manu.
Ne sæui, ne sancte senex; (v x omnibus vna)
Nulla calet Cyprio tacta puella foco
Nil mortale vides; cælo tibi sancta relicto
Venimus emerito nubere virgo viro.

Virginitas prima est: comes it doctrina pudori,
En tibi concordem dantq. rogantq chorum.
Admonitum fugit ira senem; voluitq teneri,
Et retulit celeri colla manusq. manu.
TVNC impune vir est in fœmineo comitatu,
Virginitas quando fœmina facta venit.

V.

## S. PACHOMIVM notabili ineptia Dæmones ad risum titillant.

DEuius excisi sub rupe Pachomius antri,
Durior excisa rupe colonus erat:
Flebilis æterno maduit cana lumina nimbo,
Occlusit vetitis inuius ora iocis.
Orcus at extorto valida valet arte cachinno
Torua capistrati soluere frœna senis.
Ergo nemus Lemures subeunt, circũq. supraque
Agglomerant; labor est ludere, feruet opus
Fune grauant humeros, curuantur colla rudenti;
Pone catenatæ pondera frondis agunt.
Hæc modo quam meritos pepcrissent fercula Mi-
Risisset talem tristitia ipsa globum. (mos
Ludicra sed rigidum nihil vrget scena Catonem,
Quin magis abiectos abijcit ergo iocos.
Nempe mouèretur Stigiæ si fraude phalangis,
Mobilior fixa fronde Pachomus erat.



VI.

## S. PATRICIVS Pauperem quendam à nautis reiectum tranfretare facit insistẽtem lapideæ aræ.

Soluit in Arctoas Aquilonis Apostolus oras,
Irus & hoc aliquis per mare inibat iter.
Nauta sed precio venalis, abesse phaselo,
Atque aliud miserum carpere iussit iter.
Audijt, indoluitq. pudenda Patricius re,
Et reducem lictas scandere iussit aquas.
Expedit ipse suam, iactatq per æquora puppem;
(Lignea nulla fuit, saxilis ara fuit)
Et simul attonitas graditur leuis ara per vndas,
Traijcit impositum petra supina virum.
Si saperet, tumidam timuisset petra procellam:
Extimuit timidam iussa procella petram.

VII.

## AD S. AVGVSTINVM De ipsius Retractationum Libris.

Excipis egregium calamo censore volumen,
Et notat augustos multa litura libros.
Niteris in laudem peregrino tramite: vulgi
Sit didicisse; tuus dedidicisse labor.

AD-

VIII.

# AD EVNDEM

## De ijsdem Retractationum simul & Confessionum libris.

QVam simili geminos meditaris gymnade libros!
Corripis his genium, corrigis ingeniũ.
In de doles fragili dominata pericula pubi,
Et pluis affusis pœne perennis aquis.
Hinc sapis, & docto dictas noua signa receptui,
Et tua nescio quæ, lemmata, lima decet.
Hinc tua probra notas, illinc errata coerces:
Ista docere caues, illa cauere doces.

IX.

# S. HIERONYMVS

## Supremi Iudicij metu perculsus multa se maceratione castigat.

SIue lubet parci libare papauera somni,
Seu rude victuram pascere pulte famem,
Siue feror vegeto per aprica noualia passu,
Seu rigo torrenti torrida labra Theti;
Conscia supremi circumfero classica bombi,
Et bibo sollicita Iudicis aure minas.
Et tuba terribili trepidat mihi rauca fragore,
Exanimes animans ad sua castra tribus.
Hinc ferit irato ferientem dextera pugno;
Inde manum saxo, saxa fatigo manu.
Fluctuat indomitis domitus cruor ictibus vndiq.
Articulis mortem, pollice stringo crucem.
Illa flagella flagris; crucibus crux illa minatur;
Mors fugit obiecta morte, timore Timor.
Sic tuba ne sero mihi præcipitata tonitru
Iure timeretur, iure timenda fuit.

S. P. N.

X.

# S. P. N. FRANCISCVS Veneris victoria vepres in rosas vertit.

VMbrius Assisiæ Romanus originis, olim
Eous populis, Occiduusq. parens
Franciscus, vetitos vbi serpere Cypridis æstus
Sensit, & arcanas lubrica furta faces:
Non mora, flãmigerum pugna petit impiger ho-
Perq. vepres calidam fertq. refertq. cutẽ. (stẽ,
Nec mora; virgineo fœcundus sanguine sentis
Ver'nat odoratæ visa figura rosæ.
Quam præstat sibi pũcta Venus, prosciffaq. nouit
Vncta Venus sentes reddere, puncta rosas.



S. D. O.

XI.

# S. DOMINICVS
## Dæmonem ludibundum in ſimiam verſum cogit ſcribenti ſibi cereum geſtare.

NOctua bruma fuit, vitreoq; madentia rore
Denſabant vigiles aſtra minora moras.
Cum Pater articulos graphio laſſabat Iberus,
Stringebatq. ſuum dextra diſerta ſtylum.
Auſus adeſſe Erebi paraſitulus, induit vltrò
Semiferamq. hominem, ſemihominemq. ferã.
Hiſpidus ille humeros, frontem glaber, omnia Mi-
Verſicoloratus denique Simius eſt. (mus,
Ludicra ſollicitos meditatur beſtia gyros
Et centumgeminas errat obitq. rotas
Nec mora (quàm meritos exercet fabula Manes)
Comicus aduerſa fronte Tragœdon agit.
Scriba illi dictator adeſt, quo iudice Mimus
Portitor arſuræ iuſſus adeſſe faci eſt.
Et ſimul vnguiculos ſidit tenus æſtus, & arſit
Ille miniſterio iam prope, iamque ſuo.
Pinxerit Eoos radio licet igneus ortus,
Ægrius haud vnquam LVCIFER ille fuit.

XII.

## S. BONAVENTVRA Adhuc puer maternis precibus sanitatem à S. Francisco impetrat.

DEcubuit mortale dolens, vitamque perosus
Ibat agens vitæ primula lustra suæ.
Ista dolore parens Bona-dum-ventura videret
Iam coniuratis iamque metenda malis.
Terq: quaterq. manus medicas ciet: ilicet ille
Destituit medicas terq. quaterque manus.
Si precio redimendus erat, preciosa pedendit:
Si lacrymas; fusis pæne pluebat aquis.
Si vita, volet ipsa necem; si funere, vitam;
Victa negant precium, lacryma, funus opem.
Vota parat Superis, votisq. Machaona pulsat,
Quina dehiscenti cui cute plaga rubet.
Et simul exiliens, charæ simul aspera proli
Vidit inoccidua texta retexta colo.
Scilicet intendit suplici simul Vmbrius author,
Debuit intentæ parcere Parca neci.

## XIII.

## IDEM S. BONAVENTVRA Diu diuina Euchariſtia ieiunus, denique diuinitus communicat Angeli miniſterio.

MYſta verecundo luctatus amore rubori,
Abſtinet arcano conſcia corda cibo.
Nec tamen & timidi (quanquam rata fœdera myſtæ)
Suſtinet impaſto Chriſtus abeſſe ſinu.
Bella calent: Amor arma mouet, Timor arma retūdit:
Tela timor Charitis, tela timoris Amor.
Alter in alterius graſſatur honoribus: Iſte
Ferre volet timidos; ille referre pedes.
Siſtit ouans pauidū: Cereris ſub imagine vectus
Paſtor amans pecudem potat alitq. ſuam.
Eſuriem meditata ſuis gula ſubmouet eſcas:
Hic ſecus; impaſtos eſurit ipſe cibus.

## XIV.

## IDEM S. SERAPHICVS Eccleſiæ Doctor, hoc eſt,

*Lucerna ardens, & lucens.* Ioan. 5.

Ad ipſum.

DVrat inocciduo tibi lux, tibi flamma pyropo:
Dant tibi cognatam fulgor & ardor opem.
Ingenijs vmbras, genijs glaciale veternum
Excutis; hoc radijs, ignibus illud agis.
Nil tibi triſtis hiems, nil noctis opaca minentur;
Non tua lux tenebras, non capit æſtus aquas.

XV.

## IDEM ALTVS, ET ABIECTVS Vtensilibus purgandis occupatur, & creatur interim Cardinalis.

VOluitur immūdæ Tibi treſſis amurca culinæ,
Additur Auſonio murice tinctus apex.
Ima ſapis, ſublime ſubis; petis alta profundo:
Altior eſſe queas, altius iſſe nequis.

XVI.

## S. CASIMIRVS Nec ad vitandam mortem, Veneris experientiam tolerare voluit.

CÆſaribus proauis, geminæ cōpago coronæ
Sarmaticos numerans Auſtriacoſq. patres.
Exilio terras, animo complexus Olympum,
Tranſtulit in patrium cōmoda tota polum.
Aurãi non vllus amor; non vllus Amorum;
Vmbrauit niueum nulla libido ſinum.
Quin vbi ſola diem pareret victura Voluptas,
Noluit arcendæ pharmaca fœda neci.
Diſce, quibus velles Venus officioſa mederi,
Malle verecundos, ne medeare, mori.

S. L V.

XVII.

# S. LVDOVICVS GALLIARVM REX Tertij Ordinis S. P. N. Francisci,

*Renuit Christum in Eucharistia Parisijs miraculose visum videre.*

SEquana qua Luteam regni caput alluit Vrbem
Certauit patrio Gallia digna polo.
Namq. vbi Verbipotens Cerealia dona Sacerdos
Ferre salutiferum iussit edenda Deum;
Protinus in tereti Christus libamine circi,
Magnus in exiguo pane puellus erat.
Candida cognata dudum niue simbola, dicto
Accendunt geminas picta rubore genas.
Halant labra rosas, candent sata lilia collo,
Crispus ab auricomo vertice cyrrhus abit.
Monstrũ immane puer. Teneri nitor entheus oris
Attonitum stupido lumine vulgus agit.
Præcipitatur iter, properat quis quemq, præire,
Fit via vi, teritur pes pede, virq. viro.
Denique regali portentum sibilat auri,
Sed redit immoto mobilis aura viro.
Multa supercilij decuit mora Maiestatem,
Tam solido nouitas non fuit ipsa noua.
Restitit ergo Rex, famamq. interritus hausit,
Et renuit Dydimis testibus esse duci.
Credulus hic Christi, est testis post fata futurus:
Nolle videre illi, malle videre fuit.

P. F.

XVIII.

## B.F. DERMITIVS MOLRONVS Ordinis Minorum Hibernus Clonmeliensis, pro fide capite plexus sanguinem sistit.

Qvā suus Hyblæo dignos agnomine ciues
Surius augustis ornat & armat aquis;
Ne qua tuæ proli Francisce trophæa deessent,
Intulit armatas mors violenta manus.
Non tamen arma viro, non mors violentà volēti,
Vix satis in sectam sæuijt ausa cutem.
Nempe vbi ferali collo caput abscidit ictu,
Abstinuit medio cruda cruore manus.
Stagnauit tumidis sanguis per vulnera venis,
Et caro purpureo substitit vda vado.
Gemmis (inquis) erat dignùs cruor; ast ego:
Nulla reor tali digna cruore fuit. (gemma



## XIX.

# S. IGNATIVS LOYOLA Societatis IESV fundator alienam Venerem in se corrigit.

HEsperiæ Loyola nouū decus, ignifer heros,
Ipse quod obiectis inde triumphet aquis :
Castra locanda parans vbi haberet castra Cupido,
Mersit in irriguo membra gelanda vado.
Cumq. iter adlegeret ripæ vlterioris ephebus
Arsurus Cyprio fœda fauilla foco,
Intulit hæc domito glacialis, & ignifer alueo :
I modo præcipiti lubricus ipse pede.
Hìc ego qua rigidis collo tenus illigor vndis,
Expugno calidas frigidus amne faces :
Vt mea bruma tuo si par nequit esse calori,
Sit saltem pœnæ pars mea pœna tuæ.
Ille tremens, animumq. alienis lotus in vndis
Rettulit admonitos ad meliora gradus :
Certa fides longa Loyolam pace beatum ;
Tam raræ Venerem iam remorantur aquæ.



S. AN-

XX.

## S. ANTONIVS A PADVA LVSITANVS

Renuentibus malæ fidei hominibus prædicantem audire, e Mari piſces auditores accerſiuit.

LYſadum decus Antonius, vena aurea fandi
Dum quateret Latio roſtra diſerta ſtylo;
Noluit oranti refugus conſtare popellus,
Sed voluit docilem Diuus adeſſe ſcholam.
Ergo procelloſum valida legit Oceanum vi,
Et tonat æquoreo claſſica rauca choro.
Nec mora; ſquamoſæ truduntur ab æquore tur- (mæ
Et videt exilium vulgus, amatq; ſuum.
Fiſſilis indomitæ criſpant maris alta Balenæ.
Nauigat inuiſas viſa Echeneis aquas.
Summates timidi ſaliunt Delphines in vndas,
Et ſalit excelſo Purpura digna ſalo.
Excipiunt reduces vndoſa cacumina Phocas,
Et condiſcipulos auget Aloſa greges.
Atque alij, atq; alij patrio genus æquore piſces
Ponunt in ſummis ſquamea caſtra vadis.
Dediſcunt liquidas ſitientia monſtra lacunas
Dum ſuus in bibula Tullius aure tonat.
Sic nouus in medijs auditur Apoſtolus vndis;
Sit fit piſcator qui modo piſcis erat.
Quem modo, quem tanto pigeat ſub Arione ſiſti
Diſcere qui indociles, muta docere docet?

TI-

# TITVLVS TERTIVS.

## Parthenia.

### I.

### VIRGINIS MARIÆ D. N. Conceptio à Scoto propugnata.



VIRGO parens Stygium pede demolita colubrum
Patronā supplicis nacta clientis opem:
Esse dedit CHRISTVS puram tibi; SCOTVS haberi:
Forma tua est IESV; fama, IOANNIS opus.

### II.

### EIVSDEM VIRGINIS Imago, Christi cadauer sinu complexa.


STringit amans chalybem Paulus; Laurens amat ignes.
Causa patet: ferro ille occidit, iste foco.
Virgo locat prolem gremio, non tela nec ignes;
Fert tamen ipsa suæ non minus arma necis.
Occubuit cum prole parens moribunda dolore:
Quin ferit hic ferro, quin necat igne magis?

S. TE-

III.

## S. TECLA V. ET MARTYR Cum salaci iuuene luctata petram permeat.

QVæ domuit data præda feras, data pabula flammas,
Addita vipereum trina sagina vadum:
Monstrorum Alcides voluit se subdere, Teclæ
Victrici; inuictum ne quid in Orbe foret.
Ergo subit nemus vmbriferū, nemus vmbriferūq.
Pone subit vetito victus amore procus.
Vim parat; hęc prohibet, pugnaq. reciprocat; olim
Docta peregrinas vincere virgo faces.
Neue cadat, concussa sinum petra laxat, & illam
Ambit inaccesso tuta vorago situ.
Ecce vices rerum; riguit vir; saxa fatiscunt:
Sunt hominum saxis, saxea corda viris.



S. APOL-

IV.

# S. APOLLONIA

## Fidei tutandæ dentes impendit.

DVm renuit Phario luctata virago Tyranno
Sacra profanatis addere thura focis:
Sensit inhumanæ glomerata tonitrua palmæ
Vulnifico teneras imbre ferire genas.
Exilit a uulsis confusa molaribus vnda.
Et natat in succo naufraga mala suo.
Fragmina purpureis miscentur eburnea riuis:
Vecta putes liquidis verna ligustra rosis.
Vt fugit illecebras hominis Deus: optat amicæ
Sanguineas niueis dentibus ille genas.
Christus in effuso capitur secus ossa cruore:
Ditior ei tota dos sine dote placet.

V.

# B. MARIA ÆGYPTIACA

## Incontinentiam lacrymis lauat.

PRopter inhumani lasciua piacula luxus
Obruit incestum castior vnda solum.
Tuq. Beata, auido succensa Cupidine quondam
Impluis, imbre tuas docta ferire faces.
Discis ab Orbe, sapis magis Orbe: stat illius illi,
At tuus affusis desijt error aquis.

# VI.

## S. CATHARINA VIRGO ET M.

### Caput amputata pro cruore lac profundit.


Regia Pellæi Catharina propago Canopi
 Dat sacra sacrilega colla secanda manu.
Lictor agens valido iugulum ferit ensifer ictu,
 Et Catharis truncum functa cadauer habet.
Pota puellari sed enim per vulnera lacte
 Arida virgineo tela cruore rigent.
Ni mage virgineo maduerunt tela cruore,
 Dum niuis in pluuio sanguine pallor erat;
Concolor vt flueret genialibus vnda mamillis,
 Purpureo fluxit lacteus amne cruor
Conscia secreti fieret quò scena pudoris,
 Vidit virgineas stagna cruenta niues.
Virginis ille color patuit; nota Martyris iste:
 Lac hinc sanguineum, lacteus inde cruor.
Virgo Martyr erat: Martyr sine sanguine, mirum;
 Sed miranda magis lactea Virgo fuit.
Virginibus Natura negat lactescere; vicit
 Naturam Catharis lactea Virgo suam.
*Lactea nomen habet, candore notabilis illo;*
 Tam nouus in calido sanguine candor erat.
Quam prope Reginā famulæ decor! vberibus lac
 Maria habet; Cathari lactea colla liquent.

EIVS-

# VII.

# EIVSDEM PASSIO Triumphalis.

COst's Alexandri patrijs magalibus orsa
Sceptrigeros decuit nobile germen auos.
Induperatrices experta potentior iras,
Tota triumphato ex hoste trophæa tulit.
Si merces mors chara fuit; rhomphæa monile,
Si facunda piæ præfica fama necis.
Causa fides; pugnare pati: vibrata Tyranno
Forma arma; obrysæ cassis ahena comæ.
Vexillum Crux, pila preces, cataphracta catenæ,
Lucta labor, cantus classica, palma pudor
Scena Pharos, Orchestra Orbis, tentoria cælum;
Nænia laus, lessus gloria, præda polus. (tur
Fit Syna sarcophagum; stupor est cecinisse; vide-
Quæ iacuisse subit, quæ subijsse iacet.




## VIII.

# S. AGNETIS VIRG. ET M.

## Nuditas miraculo operta.

AGnula Romani genialis imago pudoris
 Nata irritandis pupa neganda procis;
Extulit aurieomos crispanti vertice cyrrhos,
 Subdidit auratis lactea colla comis.
Erubuit nineo confusa modestia vultu
 In picturatis ingeniosa genis.
Tota pere.rino Venus imperiosa decore
 Accendit vetitum visa puella procum.
Ille calet: patulisq ferens chrysendetha labris,
 Explicat in pulchro gemmea serra sinu.
AGNA retro subigit, celeriq repercutit ausu,
 Et vetat ingratum promere plura procum.
Tantum effata: Infauste neci data præda nocēti,
 Nobiliora meus munera Sponsus habet.
Cingit Erythreis mihi colla monilibus; aurum
 Illius est, verrit quæ mihi vestis humum
Inquijt. Ille fremens, dominos patre Consule fasces
 Vltor agit; nullæ sunt in amore moræ
Occubat Agna lupo: totisq. videnda pruinis
 Cogitur assuetæ ponere lina stolæ.
Irrita vota tamen: coma præcipitata cucurrit
 Genua per, & geminos Virginis aucta pedes.
Nosse quis auratam Christi si cyclada gestit;
 Aurea cæsaries. aurea cyclas erat.



S.GAL.

# IX.
# S. GALLA ROMANA

## pertinaci castitate in adolèscentiæ æstu barbam promisit.

QVæ Venus in vultu pugnat? quæ pectore Pallas?
Et noua natiuum fert Salamandra rogum.
Asserit arcanis licet ægre Galla fauillis
Sed reuit medicas coniugis ægra manus.
Passa vaporandam pluuijs amplexibus Æthnam
Cùm fieret fere Vir, noluit esse viri.
Sed seges in calido succreuit mascula campo,
Et riguit crispa mala glabella coma.
Et formidatis didicit substare capillis,
Et potuit sexum pene timere suum.
Sic duo secura bellant in Amazone monstra;
Sic stupet æstatem bruma stupenda suam.
Credite tergeminis plures Babylonis ephebos;
Ambulat in domito quarta puella rogo.




X.

# S. BRIGIDA VIRGO

## Hyberna, miraculoso ligni effœti fœtu pudicitiam probat.

CReuit in Idalium cogenda virago cubile,
Et procus optanda in virgine creuit amor,
Digna proco merces, & amor dignandus amore:
Sed procus huic omnis desipit, omnis amor.
Forma per egregium placuit pulcherrima vultum
Forma verecundas tincta pudore niues.
Ah tamen, ah tandem; niuibus leuis officit aura,
Credita nonnullo est fœmina functa viro.
Illa senescentem ruere indignata pudorem
Ad sacra sollicito fertur asyla gradu.
Exploratricem manibus simul occupat aram,
Liberat impositas ara patrona manus.
Scilicet annoso saliunt sua germina trunco,
Et redit in tumidam verna iuuenta trabem.
Quam bene virgineo constat non mota virori,
Quæ docet admotas virgo virere trabes.




IDEM

XI.

# IDEM ITERATO.

QVà riget Arctoo glacialis Hibernia portu
Inter Parrhasiæ littora prona plagæ.
Brigida virgineas defæcatura pruinas,
Et sua securæ conscia corda niuis,
Templa subit; lis est ara sub iudice; sola
Nouerat ancipites ara vel astra vices.
Nouit, & ignotas nigrantibus extulit vmbris,
Destituens tacitos ara diserta dolos.
Nam simul intonuit cui e virgine pulsa; Tonantis
Imbuit exanimes viua medulla sinus.
Edidit exesus temere sua germina truncus,
Et noua non notas induit arbor opes.
Obstupuit portenta locus, rude vulgus; & ipsa
Mirata est partus fœta tabella suos.
At magis attonitos suspendit fœmina teste,
Non caluisse illum, quàm tumuisse trabem.




## XII.

## SANCTA SCHOLASTICA

S. Benedicti Soror, fratrem apud ſe in diuinis laudibus miraculoſa tempeſtate moratur.


GErmani germana ſoror; par nobile, dignus
Virq. ſorore ſua, dignaque fratre ſoror;
Pangunt concordem numeris modulantibus odā,
Mutua cognatis ora ſonora modis.
Iſtius illa notas dum tentat vincere; tentat
Vincere victrices illius iſte notas.
Alternis graſſantur, amant ſua fœdera fracti:
Sic certare ſibi, ſic ſuperare ſolent.
Labitur egregijs Aurora breuiſſima Muſis
Audit inoccidnum veſpera ſera chorum.
Iſſe volet Benedictus; abeſſe Scholaſtica nō vult,
t mouet arcana tinnula corda prece.
Vota mouet; ſimul arcanis Deus annuit auſis,
Impatiens ſteriles Virginis eſſe preces.
Ergo repercuſſis crepuere tonitrua bombis:
Ergo ruit pluuijs nubilus æther aquis.
Deſcendiſſe putas grauidis e nubibus imbrem?
Virginea nata eſt illa procella prece.



S. ELI-

XIII.

# SANCTÆ ELISABETHÆ
## Tertij Ordinis S.P. N. Francisci Obedientia.



ARdua Pannonicæ proles Isabella Coronæ,
Et prolis Princeps, Principis ipsa parens:
Orba virago viro, ne quid male libera vellet,
Subdidit optato regia colla iugo.
Conductumq. sua patiens mercede magistrum,
Vix semel imperio est ausa deesse suo.
Sæpe sed imperium semel indignata remissum,
Sæpius est multis passa flagella moris.
Neglexit Regina putas parere? parauit;
Noluit, vt posset plurima, pauca pati.



XIV.

# B.COLETA VIRGO

Monialis ſecundi Ordinis S P. Franciſci orat auferri ſibi formæ dignitatem, & exorat.

CAndida purpureo commiſcuit ora rubori,
Seu niuibus vernas tincta Coleta roſas.
Fudit inauratos per eburnea colla capillos,
Lactentem argenteo picta colore cutem.
Ipſa ſed inuiſo magis eluctata decori,
Odit amabilibus digna nitere notis.
Ergo fatigatum tundens prece ſupplice cælum:
Deformis forma, & decolor eſto color,
Inquit; & ambroſium macies feſtina ruborem,
Et nitidas næui diſſolüre niues.
Pallor honos diuæ, næui nota Virginis: olli
Pulchrior informi in corpore forma fuit.

XV.

# VIRGO ORIENTALIS

anonyma vultus venuſtatem occulit.


IN Pelluſiaco Venus vnà, & Veſta Canopo
Confudit nitidas fuſa pudore niues.
Bella labella roſis, paribus duo lumina ſtellis,
Æquauit Getico pectora caſta gelu.
Et tamen ingratos ne grata ſubiret amores,
Vmbrabant pictas pendula vela genas.
Hactenus occuluit formā pudor; at modo verſim
Poſt humus eſt forma proditor ipſe pudor.

B. AN.


XVI.

# B.ANGELA DE FVLGINEO

## Tertij Ordinis S. P. N. Francisci ignem sibi admouet, vt libidinem domet.



AVsa maritales experta remittere tædas
Deuouit reduces Angela vidua Viros.
At Venus, & Veneris nota puer exul amante
Instruit arsuros in noua castra rogos.
Vstulat insanis viduata cubilia flammis,
Et tumidis audax follibus vrget opus.
Illa calet, patiturq. auidas peritura fauillas,
Et timet exitium iam prope, iamq. suum.
Nec tamen aut tepidas petijt releuanda paludes,
Aut gelido fluxum fonte riganda vadum:
Non nemus, aut nemorum glaciata cacumina: null(la)
Obtulit optatas vnda vel aura niues.
Ausa sed aduersis rapere arma Cupidinis armis,
Corripit expositas in sua fata faces.
Flammatum ferit igne latus, ferit ignibus ignes,
Et docet arsuram velle calere cutem.
Iamq repercussus flammis melioribus ardor,
Sorbuit incestum casta fauil a focum.
IMPATIENS durare Venus, quũ fœdere rupto
Ipsa timet versas Diua cremanda faces:



# TITVLVS QVARTVS.


## Heroica.

### I.

### S. D. N.

### VRBANO PP. VIII.

Strena noui Anni 1638.



NCLITE Romanæ Pater Vrbis, & arbiter Orbis,
Cui reſerant clauſas Orcus, & Aſtra fores:
Quæ tibi ſtrena cadet? vel quæ dabit omina Ianus,
Quum ſecat aſtrigeros orbita prima polos?
Maximus es: vacat omnis apex quo creſcere poſſis;
Optimus; adquiri laus tibi nulla poteſt.
Non fieri, ſed nec fingi poteſt amplior: ergo
Non tibi vota queunt, non tibi dona dari.
Sola dies didicit tibi creſcere: creſcat, & olim
Surgant auſpicijs ſæcula ſera tuis.
In faſtis repetantur Apes; cæloque locentur,
Qua Iouis ambroſias miſcet ephebus aquas.
Non Vrbs ROMA foret, ſi non VRBANA fuiſſet;
Ni tua ROMA foret, nō ſua ROMA fuit.



II.

# EIDEM

## Votum repetitum

## Anni 1639.

PОntificum Princeps, patriæ Pater, Orbifer Atlas;
Sub Ioue cui tantus par nihil Orbis habet:
Tento bis incassum facilis Tibi fausta precari,
Cui rata nil, quamuis maxima, vota ferant.
Sed semel Heroi placite vocalis, ad ipsum
Votiuos didicit Musa referre pedes.
Iamq. petit properata: Tuo tener annus honori,
Neue quid eripiat, neue quid adijciat.
Perge volens; lecto veniam dabis: Ista potestas
Crescere quo posset, debuit esse minor.

III.

# AD EVNDEM

## De vtroq. eius Nepote Barberinis Cardinalibus, S. Isidori Protectoribus, & conuiuis.

ALme Pater bifidum late dominate per axē,
Imperio Cælos, & Styga calce premens;
Quid tibi pro tanto referet domus vna nepote
Bis complexa duos, auspicio, hospicio?
Sunt illi tua cura, illorum nosq. per ipsos
Iam *vacat exiguis rebus adesse Ioui*.
Certe aliud nisi grata nihil numerare valemus
Pectora: nos certe munera nostra sumus.
Et Tu Terrāi, Superumque beatus habenis,
Quid nisi vota voles? nil nisi vota damus.
Par tibi perge, timeri MAXIMVS, OPTIMVS ipse
Quū minimū possis, posse timere minus.

EIVS.

IV.

## EIVSDEM SS. DOMINI

Vterq Cardinalis nepos S. Isidori Protectores: alter religionis ergò: alter regionis.

FReta patrocinijs geminata Corona gemellis,
Et duo vindicibus regna duobus egent.
Excubat ANTONIVS Francis, FRANCISCVS Iberis
Curat: vterq. tuos ò Isidore lares.
Ordinis hic titulo tuus est, is originis: Inde
Inuideant titulis vtraq. regna tuis.

V.

## EMINENTISSIMI FRATRES FRANCISCVS, & ANTONIVS Barberini Cardinales.

QVis consanguineis dispēsat honoribus ostrū?
Curue sacro geminus murice fulget apex?
Pone supercilium: meritis sacra Purpura sanctis
Parta; minus meritis vnus & alter habet.
Maxima maiores ascendit adorea frontes:
Ambiuit magnas palma superba manus.



VI.

# SVPER ACCESSV

## Eorundem Eminentiſs. Protectorum ad ipſum collegium.

COepit ab auſpicibus Mauortia Roma gemellis
Roma tamen geminos non tulit vna duces.
Et modo vindicibus conſtat domus vna duobus,
Ipſaq. nunc geminos excipit auſa Duces.
Quam patet auguſta domus ampla capacior Vrbe,
Qua conſtat quamuis maxima, Roma minor?

VII.

# NOMINATIM

## Ad Eminentiſſimum Cardinalem FRANCISCVM ſuper eius acceſſu, & conuictu ibidem.

VNde peregrinas meditatur clauſtra choræas,
Et Charis inſolito ridet amœna choro?
Principis attonito nutat conuiua timore;
Non ſapit inuitæ tota ſagina gulæ.
At modo tanta tuum comes ornat gratia vultum,
Vt bibat illecebras hoſpes, edatq. tuas.

VIII.

DIVISIM

Ad Eminentiſſimum Cardinalem

ANTONIVM,

cùm accederet, & conuiueret
nobis.

TEmpla locant Diuos; heroa palatia; amātes
Anguſta Anguſtos ſartaq. tecta ferunt
Magnus es ANTONI, ſed amas magis; hic locat (imo
Principis excelſi ſumma ſupercilia.
Tam tibi conueniunt, ſecumq. reciproca certant
Maximus inuicti victor honoris amor.

IX.

Eminentiſſimo Cardinali

IOANNI BAPTISTÆ ALTERIO

Gratificatur pro acceptis vbertim Sanctorum Martyrum Reliquijs.

DAs mihi Diuorū exuuias, ſubducta Tyranis,
Atq. triumphatæ poſthuma ſpolia neci.
Tantus amor, tantum complexa potentia amo. &
Nec potuere magis, nec voluere minus.
Quì dubitem Diuæ quibus eſt ea cura fauillæ,
Charas diuinis manibus eſſe manus?


Illu-

X.

Illustrisimo, & Reuerendiss. D.
ÆGIDIO DE VIVARIIS
DATARIO APOSTOLICO,

Quem laudatissima in eo munere industria ab ampliori abstinuit.

ÆGidi purpureum meritis mercare galerum,
Tanta tui virtus hostis honoris erat.
Atq; ait: O incauta oneri Fortuna relicto
Sistere: non poteris substituisse parem.
Quæ foret ad tantos tam prodiga dextera censust?
Vt dare plus possit, pergat habere minus.
Importunus honos, & onus fuit importunum;
Tuq; oneris totus, totus honoris eras.
Victor vterq; fuit, quum victus vterq; fuisset:
Victor honos oneris, victor honoris onus.



XI.

Eminentiss. & Reuerendiss.
GVIDONI CARDINALI
BENTIVOLO,

Super laudibus ab eo vbertim
additis libello panegyrico
Authoris.

GVido decus generis, dudũ cui diuite lauro
Vinciuit meritas Tusca Camœna comas:
Quam gracilẽ calamũ celebras vndãte cothu rno!
Quàm mala quã magno causa probata foro est!
Zoile de hinc libro pœnam partire: Disertum
Fas modo concedas esse, fuisse neges.

XII.

IDEM ARGVMENTVM
iterum ad eundem.

CVm tua tam tenuem sinuasset dextra libellũ,
Intumuit tanto charta superba sinu.
Et simul Ausonij gremio dignata Quiritis
Induit Ausoniæ coccina viua togæ.
Scilicet immeritas simul ebibit ebria laudes,
Erubuit famæ conscia charta suæ.

## XIII.

## DE IISDEM ELOQVENTIÆ

### laudibus eloquentißimi, & laudatissimi Cardinalis.

CVr mihi facundus cumulat præconi Princeps,
Vlla nec eulogio e diuite, damna timet?
Manat Amalthæo laudum cui copia cornu,
In magno poterat prodigus esse penu.

## XIV.

### Eminentißimo Principi

## FAVSTO POLO CARDINALI,

### Super conuictu eius in Collegio S. Isidori.

QVis tua Seraphico cineri conchylia miscet,
Purpureo gracilem syrmate verrit humum?
An mortis meminisse iubes, meminisse iuberis?
Discitur exemplo, discit & illa tuo.
At tua nescio quam portendit Purpura pallam,
Et datur auspiciis omen, & arrha tuis?
Qui tibi tam FAVSTVS, sub eodem nomine no- (bis
Fortunæ figulus principis esse potes.

XV.

EMINENTISSIMO
Doctrina & Dignitate
CÆSARI CARD. BARONIO

*De Annalibus eiusdem.*

DIruta Pyramidum queritur miracula Mēphis
Et sua iam Rhodium fata Colosson habēt.
Dissoluere nouæ veterem Babylona ruinæ,
Experta est auidos Troica gaza rogos.
Omnis Cæsareo cessit labor Amphiteatro,
Cæsareum sua mors Amphitheatron edit.
Quadrifidum Imperiū totidē immortale metallis
Funestam passum est fracta fauilla necem.
Tu nouus emeritis post fata superstes ademptis
Cæsaribus præstas posthume Cæsar opem.
Illorum aduersis perierunt signa maniplis;
Stant tua concordi castra locata libro.
Mars mors Vrbis erat; tardum tuus ibit in æuum
Liber ab æterno Marteq. morte labor
Mortua viua foues, sistis moribunda, reducis
Quæ periere, tuo non peritura libro.
Imperium ingenio reparas: Tibi redditur Orbis,
Et sapit artificem Roma recusa manum.
Macte opere augusto; referes post fata BARONI
Maius Cæsareo Cæsare maior opus.

FR.

XVI.


## FR. IO. DVNS SCOTVS propugnator Conceptionis Deiparæ Virg. Mariæ.

SCote vides patrio MARIAM sine crimine cre
Vt creat innocuas aspera spina rosas (tam,
Nescius Orbis erat; didicit te vindice; Tecum
Postera tam pulchrum fama loquetur opus.

XVII.

## Reuerendissimo Patri BENIGNO A GENVA, Ordinis Minorum tertium Comissario Generali.

TV modò Seraphicis longùm defunctus habe
Dimittis meritis lora repulsa volis (nis
Noluit ipsa tamen refugo parere potestas,
Et petiit reduces imperiosa manus.
Tu citus in Siculi fugis intestina Pelori;
Sed reuocant vetitam fræna fugata fugam.
Iam quotus ingenium neget ingeniosus honori,
Quem sibi quærendos nec latuisse latet?



PAR

XVIII.

# PAR LEONVM
Insigna Baroniorum.

SPirat in heroo regina potentia ri&u,
Et patet impauido pectore Rex animal.
Blanditur croceo maiestas citrina villo,
Et fugit humanis ira ferina feris.
Quã cõlanguineo præfers BARO marte Leones,
Nosse nocere tibi, velle placere placet.

XIX.

Excellentiss. & Illustriss. D.
# PETRO FAXARDO
MARCHIONI DE LOS VELES,

Et Catholicæ Maiest. Philippi IV.
ad Sanctiss. Romano Oratori.

*Dialogus inter vtrumq. habitus de computis Babylonico, Italo, Astronomico, quod cæteris præfertur.*

SEu lubrico dociles animantur pondere gnomi;
Seu docet instabiles mobilis vmbra moras:
Prima Semiramios Phœbi mouet orbita ciues:
Cum Cælo Babylon, Soleq. fœdus habet.

Ita-

Itala lucifugis orditur, & occidit horis,
Et numerat profugum noctua norma diem,
Sed. septemgemini medio stant orbe Triones,
Auspicium media luceq. nocte nouant (vno,
Hàc Tagus, hàc Rhodanus bis ponte iugantur in
Hic sibi concordes dant duo regna manus.
Hic mihi gryphus erat; quota forma præite fera-
Et tua tum grypho Musa diserta meo. (tur,
Inquit; in oppositis qua fit concordia castris,
In qua conueniunt sceptra, corona decet.

## XX

# HEROIDIS VNVM.
## DE IOANNA GALLICA,
## quæ Galliæ Regnum ab Anglis recuperauit.

SEnsit Hyperboreos vbi Ga'lia fusa triũphos,
Et retulit domitis dura lupata labr's.
Vna repercussis (vin' quanta?) puella Britannis,
Excussit domitis dura lupata labris.
Argumentum ingens: stimulante furentior æstu
Fertur in infestos libera Virgo globos.
Induit ausa virum; muliebribus ornamentis
Miscet odoratæ mascula tela stolæ.
Virgineo rigidum lateri circumligat ensem,
Quadrupes impositæ calcar, & arma timet.
Implicat indociles cataphracto tegmine costas,
Castigat nitidas ægide nexa comas.
Iamq. manu ferale tonans, simul hos, simul illos
Impetit; impetitur hinc simul, inde simul.
Hinc femur, inde humerum iaculo traiecta cruẽ-
Victrici dignas imbuit imbre manus. (tum

Poſtera nam raptas reparauit adorea palmas,
Et ſubiere ſuum Lilia nacta thronum.
Erubuit viciſſe Brito, & ſuccumbere victis:
Quam renuit vinci, quem ſuperaſſe pudet.




# TITVLVS QVINTVS.


# Satyrica, & Saturnalia.

## I.

## IN IDOLVM IOVIS Sub dio.



CVI Romana caput Capitolia, Achaia Olympum
Subdidit oppositos axis vterq polos;
Nocturnas hiemes, pluuij bibit aetheris iras,
Nec sua contento fulmine dextra calet.
Quis madida calidum mentitur imagine numen?
Scilicet absimilis Iuppiter ille Ioui est.
Hic riget, ille calet; stupet hic, tonat ille: vicissim
Imbribus hic difluens, ignibus ille furens.
Quin, quandoq sui dolet igne toreuma Tonantis;
Vapulat irato Iuppiter iste Ione.
Archetypo posset ne quid minus Omnipotente,
Debuit infelix *omnia posse* pati.



II.

# IN MARCVM,

Et similes nostri temporis authores, qui hinc inde congestis centonibus vociferantur.

MArce tibi Augustos spondet rude vulgus honores:
Alter Aristoteles, alter Homerus eris.
Naturæ dum voluis opus, volvisse videtur
Ipse Stagyreæ primus Apollo scholæ.
Seu magis Ausonio celebras heroa cothurno;
Tullius in Marco creditur esse suo.
Siue fatigatam laxas in carmina venam;
Dulichij poteras præco fuisse ducis.
At modo nescio quæ, narratur fabula de Te;
Vendicat vnumquodq. vnus & alter opus.
Vnus & alter adhuc: quinto sub iudice lis est,
Et tua libri pars parua libellus erit.
O bene! quàm bellum referet cornicula risum,
Quum volet externam reddere calua comam!

## PASTOR PROCAX
### EX MARONE.

*Quid nisi secreta læserunt Phyllida syluæ?*
*TytireTu patulæ recubans sub tegmine fagi.*

IN.

III.

# IN MARCVM

## Ebrietate nutantem.


QVisque notans tremuli capitis Tibi claustra cieri,
Temporibus cerebrum sensit abesse tuis.
Error erat; *Motum mensurant tempora*; Tuto
Temporibus cerebrum crederet esse tuum.

IV.

# AD EVNDEM

## In foueam lapsum.

VIdit vt instabili vulgus te vertice captum,
Festiuum capitis risit inane tui.
Nec temere: vacua in tumido nant aëre vasa:
Plena locant pressum pondere fixa solum.
Ast vbi te lutea didicit stagnare palude:
Redditus est (inquit) sensibus ille suis.
Ergo *suis* tibi sensus erat; tamen ingenioso
Ingenio qui *sus*, ingeniosus eras.



V.

# ITALO AVARO

## à Parente ſuo notabili ſtratagemate illuſum eſt.

TVſcus inops opibus:(SVA copia damnat aua
Plus quibus eſtæ plus eſuriuntur opes (ros
Tuſcus amās charum ſcrobibus confuderat aurū
Damnauit ſimili gemmea ſigna ſcrobe.
Sordet Onyx, virtute Adamas vacat, igne Pyropus;
Omnis in obſcuro ſqualles Erytra ſpecu.
At non dura fames auri diſpeſcitur auro;
Irritant poſitam pota falerna ſitim.
Vrget hydrops; ſimul illæ aulæ, ſimul exultat vr-
Et medicas opibus captat auarus opes. (bis;
Mantica ſed reſidi ceſſit poſtica parenti;
Gazaq. marſupijs exulis exul erat.
Prædo parens tenebris damnatum vindicat aurū,
Et gemmas ſimili dat ſupereſſe ſcrobi.
E precio precioſa refert: reus aureus ipſe.
Auricolor famulos ornat aluta greges.
Gemmaque, quæ fartas diſtendit ſordida cryptas,
Fœmineam decuit texta catena cutem.
Ille redux, nitidos longùm miratus amictus,
Longùm fœmineæ pendula ſigna cuti.
Ocius omne cubilis obit latus; itur in imum,
Quæritur arcanæ quæq. crumena ſcrobis.
Quæq. tumet (ſic quamque vel induit æs vel are
Et retulit tumidum turgida tela ſinū.) (na,
Hæret auarus ad hæc peregrino turbidus aſtu,
Et reſerat laxis libera colla ſeris.
Omnibus immerſas cubito tenus ingerit vlnas,
Sed pupugit teneram tacta ſaburra cutem.

Ergo fremit,queritur, furit,intonat,exilit, ardet,
Et simul instabiles odit, & optat opes.
Ne sæui, ne Nate Patri; metire reperta:
Sarta-manēt auri pondera-tecta tui.


VI.

# IN SALOMONEM

## Super illo Sapient. 8.

*Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.*

ECce verecunda lasciuus origine fœtus
Quàm mala,quā mundo stipite mala legit.
Pura iuuenta fuit Cyprijs intacta sagittis,
Tota per infamem ducta senecta Cyprum.
Quam bene Rex puerum sanctū se sorte notauit!
Destituit reprobum mobilis illa senem.



VII.

# BACCHVS, MINERVA

A Ioue principium Baccho; Ioue principe Pal-
Dissimilis simili parta propago patri. (las,
Sicca soror, merus ille merum; tulit ægida virgo,
Thyrsum fæmineus, pœne puella, puer.
Digna decussis erat, versiq reciproca sexus
Talio, cùm foret hæc frater, & ille soror.
Irrita Grammaticis pepigerunt fœdera gnomis;
Mascula virgo, vir fæminei generis.
Ille palato sat sapuit, satis illa cerebro:
Protinus hanc hominem dixeris, illũ animal.
Odit amica falerna Deo cognata liquenti;
Hinc puto præsertim virgo Minerua fuit.
Auersatus aquas Veneri Deus ortus alendæ
Hinc hic fœcundo LIBER amore PATER.
Vt diuisa duo produnt patrimonia Diui!
Hic ventris Deus est, mentis & illa Dea.
Qui geminos fudisse nequit ni insaniat alter:
Quàm parui magnus Iuppiter est cerebri!
Quo satus excussit patrium fere fæmina sexum,
Ante pater parci credo pudoris erat.
At modò cum Ioue nata est Virgo, Magistra Mi-
Ille pudicitiam perdidit, & cerebrum. (nerua,
Hinc aurum, taurum, plumasq. tetendit adulter;
Hinc peior monstris pluribus ille parens.
Quì dubitem? cum sola foret duo monstra Mi-
Fæmina virgo, vnũ; fæmina docta, aliud? (nerua



MORS

VIII.

# MORS IMMATVRA

Cuiusdam Doctoris ex nostris.

QVem legis vndecima raptum trieteride D.T.
Heu nimis in patrio iure peritus obit.
Abrumpens media meditata volumina (morte,
Scotista in propero funere functus abit.

IX.

# FR. CLAVDIVS.

Siue virtus ex necessitate. In illud Aristot. 1. Phys. tex. 71.

*Ex nihilo nihil fit.*

ILle Stagyrea longum trabeatus abolla,
Materiam docuit nullius esse Nihil.
Quodlibet ex aliquo est: Paritur sata fomite flam- (ma:
Fœcundant grauidum semina sola solum.
Suffocant defuncta suam sua pabula flammam:
Effœtant auidum grana negata solum.
Freta nouo vetus est sententia fundamento:
Hic li tat amissum, non sua damna, penum.
Exuit olim exutus opes; & quid minus illo?
Fit MINOR ille tamen, *Fit nihil ex nihilo.*

X.

# PASTOR

## Palatij impatiens, vrbani lecti rigorem fastidit.

TYtirus vt tonso super amnica claustra nouali,
Et poto bibulum rettulit amne gregem:
Ipse Quirinalis Romana palatia saxi
Instituit audaci sollicitare gradu.
Nec minus obliquans Tyberina fluenta, forumq.
Vestigat dominos inscius erro lares.
Olli par proceri valuis domus ampla reclusis
Laxabat pandis amphitheatra foris.
Tygna cypressus erat, Parij lita marmora postes:
Lusit in elato Dædala dextra tholo.
Quà tamen heroas plumata toralia, vernas
Sternebat solidi culcitra sola soli.
Tytirus hic bardi recubans super assere trunci
Pene recumbendo truncus, & asser erat.
Iamq. dolens parci, fractusq. papauere somni,
Debuit ingrato dignus abesse thoro.
Ac circum supraque oculos, infraq. rotanti
Visa est supposito pluma iacere solo.
Corripit ille celer, damnatq. repertor, & addit:
Hac super insomnis si mihi somnus erat
Quale dolent qui plura premũt subtegmina talia
Et quibus est durus plurima pluma thorus?



RE.

X I.

# REGVLARIS C. PRÆDONEM

## astu, & exitio excipit.

MYsta cauernoso quisquā peregrinus asylo
Inuia soliuagum per loca fecit iter.
Sylua viæ suberat, syluæq. impressa patenti
Confudit dubios semita trunca pedes.
Pluribus hic longum Mystes ambagibus actus
Ferales timuit per nemora alta feras:
Vipereos timuit per inhospita tesqua colubros:
*Res est sollicito plena timore* nemus.
Continuit tristes sed enim fera quæq. figuras:
Innocuo nocuit Vipera nulla viro.
Non Lupa, nō pandum Lupus extulit ausus hiā-(tum,
Abstinuit tumidis Vrsus, & Vrsa minis.
Durius his animal, calidaq. nocentius ira
Durus homo, absentes iussit adesse feras.
Sæuior hic sæuis per inhospita tesqua colubris,
Non acuunt similes Aries, Aperque minas.
Vtraq. syderibus minor Vrsa est, est homo Maior;
Maior inhumana Tygride Tygris homo.
Inde Lupus rabiem, Leo disceret inde rapinam:
QVÆ fera plus hominis, plus feritatis habet.
Ille viatricem cùm cerneret inferus vmbram,
Exilit obscuro per iuga summa specu.
Dumq. reluctantem valido quatit impete Mystā;
Prodeat hàc ferro præda crumena meo;
Si mora, vita meo cadet insuper hostia scloppo;
Ecce, ait, hæc tacito machina fœta foco.
Inducias rogat iste, resumit vota precesq.
Irrita crudeli vota precesq. viro.
Non prece, sed precio redimendus protulit æs, &
Addidit; Heus ferro me quoque cæde tuo.

Sit mihi quo credat prædonibus obuius iste,
Difficilem faciet sola rapina fidem.
Abnuit: abiecto Mystes per aprica cucullo:
Vt minus hic auidæ sint monumenta manus.
Inquit; & indultum est: facilis fuit ille ferire,
Expuit ei tacitum machina fœta focum.
Mysta sed exploso defunctam fomite signans
Balistam aduersa corripit ipse manu,
Altera latronem meliori dextera præda
Diues habet; regi sistit virumque citus.
Sistitur ille cruci, & laqueo moribunda ligatur
Colla; redit querulo parta crumena Patri.
Quàm bene promeritũ terebrasti prædo cucullũ!
Scilicet ille tui funeris author erat.

## XII.

## FORTITVDO HERCVLIS.

BVccinat Herculeos immanis fama labores,
Æripidem ceruum, vipereum colubrum.
Stymphalidos volucrum rictus, Busyridis aras,
Charaq; virgineis aurea mala choris.
Atque alijs, alijsq; repressa pericula prædis,
Et tenus ad Stygij fidit Auerna vadi.
Scilicet hoc monstrũ est? Facilis descẽsus Auerni
Non descendisset; fortior ille foret.

## XIII.

## STATVA NIOBES.

VIdit in exciso simulchra fabertima saxo
Luctificæ Niobes hospes, & obstupuit.
Tam similem molita cutem, tam fœminea ora,
Impulit exanimes ars animata manus.
Tam lubricas appendit aquas, oculiq. dolentis
Extulit in geminas vitrea stagna genas.
O opus! O opifex! inquit meus hospes; & inquit,
O vt Phidiacam spirat imago manum!
Inquit & errauit: Niobes saxatile spectrum.
Effigies miseræ non fuit, ipsa fuit.

## XIV.

## IN MARCVM

### Summa cautela à Summo Pontificatu fugitiuum.


FOrs inopinato solium vacat Interregno,
Et tumet ostrigeris aula petita procis
Tot Parides innupta parit, luditq fatigans
Istius hinc auidas, illius inde manus.
At meus immensum Marcus cauet, & timet ipsi,
Ne grauet immeritas missa tiara comas.
Ergo iter accelerat per aperta, per inuia pernix,
Et per acuta fugax, & per acerba celer.
Iamq. peregrinam temere terit Amphitriten,
Et legit Euboicum naufragus erro salum.
Iam cita plaustra premit, bigat iamq. quadrigat,
Iam iubet alipedem currere sessor equum.
Ah absiste, (perit fuga prodiga,) Marce moueri:
Qua fugis, (vt properes,) à fugiente fugis.

## XV.

# ORIGO

## Humani coniugij, & mutui amoris.

QVàm ſapiunt bifido figmēta reciproca ſexui,
Et petit hinc ſi milem virgo, vir inde ſinū?
Alter ab alterius bacchatus amorē huiſ. ardet
Et ſua quæ reutem capiat imago virum.
Mutua riuali mercantur fœdera quœſtu,
Inuoluunt gemino conſcia colla iugo,
Tanta patet vetitis arſura licentia tædis?
Tantaq. ferales ventilat aura faces?
Mitte ſupercilium; nihil hic Venus audet; vtrimq.
Caſta verecundas ventilat aura faces.
Seruat amans Natura ſuum, ſua iura, tenorem,
Et volet alternam ferre, referre vicem.
Scilicet hinc reducem coſtam latus appetit orbū,
Inde ſuum repetit coſta petita latus.



# TITVLVS SEXTVS

## Epitaphia

Ethnicorum (hoc est reproborum) aliena.

I.

AENAEAE TROIANI.

*Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.* *Virg. Aen. 6.*

II.

DIDVS PHAENISSAE.

*Vulnus alit venis, & caeco carpitur igni.* *Idem l. 4. Ae.*

III.

NERONIS CAESARIS.

*Expectes & sustineas Auguste necesse est.* *Mart. Epigra. lib. 4.*

IV.

## THESEI.

Catull. Car. 2. *Qui nunc it per iter tenebricosum,*
*Illuc, unde negant redire quenquam.*

V.


## CATVLLI.

Idem Car. 2. *Male est Cornifici tuo Catullo,*
*Male est me hercule, & laboriose,*
*Magisque, & magis, in dies, & horas.*

VI.

## AVGVSTI CAESARIS.

Virg. 1. Georgic. *Quà locus Erigonen inter, Chelasque sequentes*
*Panditur; ipse tibi iam brachia contrahit (ardens*
*Scorpius.*



VII.

# SAMPSONIS
## Iudicis Hebræorum.

VIuit inocciduo sua prędа cadauere Sāpson,
Et fatur inferias datq; capitq; suas.
Cuia Palæstinum tremefecit dextra leonem;
(Quadrupes armosus, Sampson inermis erat.)
Cuia catenatos scidit acrior orbibus orbes,
Extulit obstantes ferrea claustra fores.
Allophilos vno plures Mauorte peremit;
Maxima, maiori parua trophæa duci.
Limes erit laudum: Sampson Sampsona peremit;
Sola fuit tantæ par ea palma neci.

VIII.

# BELISARII
## Consulis, & Imperatoris.

QVi volet vnius varios in imagine vultus,
Fortunæ voluat conscia saxa meæ.
Ille ego qui quondam, (quanquam qui non ego quondam
Ipse mihi suppar, ipse superstes eram)
Ense ferox, hastaq; minax: simul ausa superbe
Abiurare meas ensis, & hasta minas.
Crista comam, cataphracta humeros, thoraca pharetra,
Dilectum repulit perfidus vmbo latus.
Quæ plaga, quid pelagi, quotus Orbis, & aura triumphos,
Et coniuratas non mihi nosset opes?

Quà

Quà noua Memmonijs Aurora renaſcitur vndis
Proſtrant auſpicijs Bactra ſubacta meis.
Quà mediam paribus lucem nox excipit vmbris,
Succubuit noſtræ Punica palla togæ.
Vtraq; Sicanio quæ vertitur ora Peloro,
Subdidit impoſito colla ſuperba iugo.
Quoſq; ego calcata tumidos Babylone reduxi,
Extimuit reduces Maurus & Hunnus equos.
Sic mihi, ſic totas dedit ah Dea lubrica dotes,
Surgeret vt magno par ſibi præda penu.
Sic ego contracto Nani ſub inane Coloſſo;
Detumui minimo magna ruina loco.
Quæ mihi cælato teſtudo pependerat auro;
Hoſtili ſuberant prona aſarota pedi.
Cuius Amalthæam decuit vola prodiga gazam,
Orauit parcam pendula palma ſtipem.
Tam leuis in tanto luſit Fortuna theatro;
Tam conſanguinei Creſus, & Irus erant.
Tam propè, tam diſpar puppi ſua prora ſequēti;
Tam temere tumidis obrutus Iſthmus aquis.
Iamque vides vna varios in imagine vultus;
Iamq; potes damno ditior eſſe meo.
Hæc mihi præcipiti nimis ah nimis aſpera ſaxo,
Excipiat reduces orbita plana pedes.
Diſcite fælici cognata pericula ſceptro:
DVRVM ſuppoſito non titubare globo.

LX.

## CAROLI QVINTI
### Imperatoris Auſtriaci.

ARma virumq; vides, ſceptris qui Cæſar Ibe-
Addidit occiduas Vrbis & Orbis opes. (ris
Qui prior Alcidæ patris indignatus honores,
Extulit Herculeis parta trophæa notis.
Quem non Odryſias vexilla rotantia lunas,
Non formidatis Celtica ſigna minis.

Per-

Perfida non domuit patrijs Bellona lacertis,
Non mersit refugis Rhenus, & Ister aquis.
Carolus hic datus esca neci, data præda sepulchro,
Diuisam sternit, fertq; cadauer humum.
Quisq; diem contentus obi, quum stamine rupto
Sæuit in Augusta Parca superba colo.

## X.

## ALEXANDRI
### Cardinalis de Monte alto.

PVrpureæ cycladis, fortunatiq; petasi
Hinc docet instabiles vmbra diserta vices.
Cuius adorat's numeroso poplite costis
Texuit ardentem punica lana togam.
Cuia palatinis tumuerunt fulta columnis
Aemula sydereis tecta superba tholis.
Ponit in hac humidis Montana cacumina valle,
Mutat nigranti decolor ostra peplo.
Vt fato fortuna subest? domus illius vrna est,
Tantus Alexander Cynicus esse tulit.

## XI.

## GABRIELIS DE TREYO
### Cardinalis.

GAbriel Ausonijs trabea, peploq; togatus
Induit Ausonia pectora digna toga.
Dijs Numa, Dardanijs genio Cato, Plato Pelasgis,
Mæonides Musis alter, Apollo Lyris. (tim
Nunc nihil est nisi pondus iners, tot funera far-
Edidit insana Mors animosa manu.
Vindicias tamen ille refert; si purpura pallet,
Pallida Mors prædæ tincta rubore suæ est.

Sci-

Scilicet ingratæ memor ipsa tyrannidis; inde
Erubuit vetitum fassa pudore nefas.

## XII.

# IOANNIS DE MENDOZA
## Marchionis Canetti.

Nobilis elatis vbi pyramis innolat auris,
Et feriunt tumidum pegmata sūma tholū:
Qua nouus illustri titulus nitet illitus auro,
Ata ter abrysis tincta, quaterq; notis.
Tota vides inopum surgentia Mausolæa,
Et cubat augusta plurimus Irus humo.
Crede, simul Mendoza cubat; simul illius ille
Cæsus in vnius cæde maniplus obit
Mortis auarities qua fregit acerba parentem
Messuit illa inopum millia mille manu.
Dic modo si tantum quæ non miserata peremit
Digna suo stimulo Mors fuit ipsa mori?

## XIII.

# HANNIBALIS
## Ducis Pœnorum.

Exul Agenoreis patriæ pater Annibal oris,
Migdonia prostrat flebile funus humo.
Iure potens gemino; dubio sub iudice nutat,
Palladia palmam, Martis an arte metat.
Ilium in Italia fudit, doctosque Quirites
Confudit Tyria castra togata tuba.
Occidit gelida, simul occidit ipse cicuta,
Victus vt ipse foret, victor & ipse fuit.
Si minus ipse spem cunctando destituisset
Non magnus *Fabius, Maximus* ille fuit.

Quæ

Quæ manus immeritos aconita refudit in artus
Quam fuit hæc Vrbi dextra, finiſtra ſibi ?

XIV.

## Mantis poetæ ſuauiſſimi epitaphiũ cur nemo deſcripſerit ?.

MVſa quid ingratum ſuſpendis præfica leſsũ,
Quem tacuiſſe vetas, ſic tacuiſſe voles ?
Sic fidibus proſcripta fides ? ſic pigra ſonoro
Plectra ſonant, vati perfida plectra ſuo ?
An quia *Vocalis* Mantes abit, omnis adempto
Littera collacrymans *Muta* ſit, & *liquida*?

XV.

## D. LAVRENTIO BARONIO Authoris patri.

MEtra vides nati, genitoris buſta viator:
Sic tua ſit patribus grata Camæna tuis.
Marmora nomen habent herois, nomen honores
Laudem fama, inopes cõmoda, corpus humus.
Vtraq; diuiſam ſeruat reſpublica prolem:
In ſpolijs Mortis pars quota Mortis erat ?

XVI.

## INFANTVLI ELEGANTIS feſtinato occaſu extincti.

QVi ſquis amans teneras vlciſceris imbribus vmbras,
Excipiat lacrymas digna fauilla tuas.

Ah dolor, ah primis hiemantia colla pruinis;
Ah dolor, ah duplicis coccina dupla labri.
Ah decor, ah medijs liquefacta corallia malis,
Ah amor, obryssas vellera chara comas.
Proh teneras thoraca niues, chrystallina claustra
Pectoris, & teretes tota ligustra manus.
Proh geniti, Natura nocens, inamabilis author;
Lenta parens soboli, prompta nouerca suæ.
Vix vitam vidisse dedit, simul inuidet ortis,
Et tenus vt possint nata perire, parit.
Sic puer emeritæ damnatus origine formæ
Accersit celerem præda petenda necem.
Talis odorati per aprica rosaria Pæsti
Culpa decussendæ sit placuisse rosæ.

## XVII.

## LVCRETIAE ROMANAE.

QVi legis immeritos sub iniquo marmore manes,
Da gemitum cineri, aut Tu quoque mar (mor ades.
Cuius inaccessę luctata modestia formæ
Accendit Cyprias in sua fata faces.
Et niue nequidquam valido luctata calori
Arsit, at innocuo ceu Salamandra rogo.
Disce pudicitiam subigi non posse iugalem:
Solus de geminis alter, adulter erat.

## XVIII.

## ISABELLAE CLARAE EVGENIAE Hispaniarum Infantis, Tertij Ordinis S. P. N. FRANCISCI.

TRes Charites præerant, sed quum data fata subiuit
Auxit tergeminum quarta Isabella chorum.

Ty n-

Tyndaris informes speciem formosa sub vmbras,
Arma per infernas versat Amazon aquas:
Imbuit Elysium pietate Sybilla viretrum,
( Diuisis aderant singula, terna tribus )
Clara triplex; specie, pietate insignis, & armis,
Omnibus Elysias dotibus auxit opes.
Metaris Assyrio, Batauo Bellona putetur,
Si chlamis artificem picta referret acum.
Sed toga purpuream prætexit lutea pallam:
Assyrius Seras iussit abesse cinis.
Sic cineres complexa sinu, sic fœdere funus,
Quo peritura, prius ne pepigisset, erat.

## XIX.

## MARIAE VVADDINGAE

### Authoris matri.

CHara parens, quam præcipiti te pollice soluit
Impatiens fusis parcere Parca tuis?
Nil Natura tibi, minimum Fortuna negauit;
Ambabus gemina freta parente parens.
Purpureas succensa genas, trabeata capillos;
Messuit arcanæ frons tua mentis opes.
Virginibus, viduis, genialibus aucta corollis,
Audis ab illustri sanguine, prole, thoro.
Et fugis? & fas est: patrio quota pignora cælo
Digna, peregrina ne remorentur humo.

## XX.


## ELIZABETH VETVLAE

### informis, & impiæ.

MAura cutem, canis hiemabat Elysa capillis:
Palluit informes Gorgonis ora genas.

Vir-


Virginibus, viduis, medijsque superstes ademptis,
Pœne putabatur non potuisse mori.
Ipsa laborantem trepide complexa bacillum
Ad Styga tergemino perstitit ire pede.
Sed mirata vetus, visuq; inamabile monstrum,
Occlusere suas Orcus, & astra domus.
Mors homini fatale malum; data pœna perire,
Illius in nulla sola salute salus.
Quæ vellet mulctare ream daret Atropos annos;
Parcere si mallet, plecteret illa magis.



ELE-

# ELEGIA

## De humanæ mortalitatis miserijs.


Vra quid ingrati mihi stamina protrahis æui (meæ;
Visa magis vitæ prodiga Parca
Adde operi titulos; Tibi par sis perfida; tandem
Parce recusatis addere pēsa colis.
At mihi nec perijsse patet, nec viuere vis est:
Ingerit alternas Vitaq; Morsq; moras.
Quin magis Euripo, volucriq; celerrima fluxu
Corripit alternam Vitaq; Morsq; fugam.
Mors animosa mihi, moribundaq; Vita; vicissim
Vita minus vitæ, mors mea mortis habet.
Lapsa fui:; lapsura foret, nisi nescia sisti
Vita volubilibus cresceret aucta rotis.
Hic amor, hic odia, ira, catenatiq; dolores;
Nobilis oppositis texta Chymæra malis.
Vror amans, liuore fremo, languore fatisco,
Ebrius eructo, sobrius esurio.
Quæ fragilem pascit, depascitur esca vigorem:
Esca homini genitrix, esca homicida suo.
Exuar, algebo; simul induar inde grauabor.
Sic data fit pondus palla, negata dolor.
Bruma gelu, radijs ingrata calentibus æstas;
Imbribus vnda mihi, follibus aura nocet.
Lugeo, lætor, acerbor, amo; data præda duello
Nec mecum possum viuere, nec sine me.
Torpeo ni mouear; si mobilis erro, fatigor:
Non mihi multa quies, non mihi nulla fauet.

Hu-

Humor agit tumidũ, tenuem calor, ambo rebellẽ:
Algor iners flammas dissipat, ardor aquas.
Pigra senecta pio est, insana iuuenta labori:
Impatiens regere est altera, & altra regi.
Ergo miser, quem vita vorat, quem fata fatigant,
Totq; necant segnes in tua damna neces:
Aude aliquid; Babylona suo confige dolori;
Morsq; sit ad mortes ingeniosa suas.
Occidis, occidas: fugit incũa vita; fugetur:
Allide impactæ pignora praua petræ.
Petra patet Christus; comes, I comes addere Chri-
Vita tuæ vitæ, mors tibi mortis erit. (sto;
Hoc duce quæ Solymas fundo iubet exhaurire
Victor Idumeæ diues adibis opes.
I simul, I crucifixuram crucefigere mortem,
I semel, æternùm ne moriare, mori.

## *Libri primi Epigrammatum Finis.*



# ELENCHVS
## Metrorum.

1. *Encomiasticum S. Patricij, Hyberniæ Apostoli.* — Heroicum.
2. *Oda appendix Orationi Antonij Cardinal. Barber.* — Phaleucium.
3. *Fuga Popularium laudum ad Excellentissimum Marchionem Eman. Rodericum Oratorem Cathol. ad Sanctissimum.* — Tricol. Tetras.
4. *Electio Reuerendissimi P. Io. Bapt. in Ord. Minorum Generalem.* — Hexametr.
5. *S. Bonauentura eiusdem Ordin. Episc. Card. Alba. Concilio Oecumenico Lugdun. Præsidens.* — Tricol. Tetras.
6. *Iocus medicinæ preciosæ.* — Hēdecasyll.
7. *Alius de Diabolo docili.* — Iamb. Trim. Acatal.
8. *Encomium Annalium Min. P. Lucæ VVaddingi.* — Hexametr.
9. *Modulata lætitia in accessu*

Eminentissimor. Princ ipp. Fran. & Ant. Bar. Card. ad S. Isidorum de Urbe.

Tricol. Tetras.

10. *Nemus Tusculanum Villa Aldob. graphicè decantatum.*

Hexamet. Hero.

11. *Classicum ad Principes Christianos, ut militantem Ecclesiam Hyberniæ, ope, & armis prosequantur.*

Saphicum.

12. *B. Iuniperus, quam lepide olim ægro ministrauerit.*

Phalc.

13. *S. Ludouici Ord. Minorum Episcopi sanctitas, & magnificentia.*

Oda Pind.




PRO-

# PROGRAMMA LIBRI SECVNDI.



ICTA cothurnatos deceant prœscenia Musas,
Sit mihi, sit raucis Syluula scena modis.
Sed neque vel nemorum salient impune per auras;
Tantus in exigua cæde tyrannus erit.
Ille supercilio, nasoque lacesset adunco:
Passim Nasones, parcus in Orbe Maro est.
Hic tumidi bombis, tonitruque minabitur oris.
Atque alet infestas stupea Sylua faces.
Quam male securos redimisti Daphni poetas?
Iam didicit frondi fulmen obesse tuæ.



# SYLVVLAE

## METRVM PRIMVM HEROICVM

## DE S. PATRICIO EPISCOPO, Hyberniæ Apostolo.

*Deque eiusdem regalis insulæ, ad Christum conuersione.*

1. SI domus Isacidum Diuis oriunda, beatos (poplite manes
Quæ consanguineo veneratur
Iactet adorandum famæ, & fælicibus Euris
Committens heroa canat, quo principe quondam
Memphin & indomiti liquit septem ostia Nili;
Cum Pelusiacæ nouus ille tridentifer oræ
Fatidica tumidos librauit arundine fluctus
Hinc atque hinc circum lateri latus; ilicet illa
Tuta per attonitas castris tranantibus vndas
Bissenas tulit ausa tribus; quæ fœnora famæ?
Quam gratum egregio melos, & Pæana parenti
Occinet Arctoo genialis Hybernia sistro,
PATRICIO facunda suo, quo præsule nacta
Natales latices, Christi secura cruore
Per mare purpureum, fluuijque binominis alueū
Egit iter liquidum Stygio transuecta Canopo,

Et simul exosum ( facilis meliora doceri )
Dedidicit correcta nefas. Tua gloria nato
Pangitur (alme Parens;) tenui Tu dexter auenæ
Adsis, & ancipitem rege per vada deuia vatem.
2. Tu nostræ Cynosura, tuæ Tu Phosphorus oræ
Sparsisti Eoum radijs crinalibus ortum:
Quo sine nec patrij conuexa nitentia Cæli
Discere, nec rutilos astris ardentibus orbes
(Cymmerios oculos nigrantibus obsita nimbis)
Conualuit; non ipsa suas obducta tenebras:
Quin nemus vmbriferum cæcis obscura latebris
Noctis amica suæ, gremio quas diuite fundit,
Prona colebat opes, pictis emblemata signis:
Frigida cælatos complexa toreumata Diuos,
Et ferrugineis liuentia Numina membris
Magnificum Alciden, formidatamque parenti
Progeniem post fata Ioui, quo præside quondam
Ipsa suos tumido fudit Titanas hiatu,
Et magis armisonum cognato semine Martem,
Quo duce victrices animis armata cohortes
Vna Caledonias tremefecit Ierna phalangas.
Nec minus imperio tumidos qui sæuior Euros
Armat, & extincto mandat mitescere flatu
Æolus, æquoreos cuius sibi munere fluctus
Sensit, & instructis subigi vada liuida limbis.
Te quoque verbipotens, geminoq; caducifer orbi
Cylleni facunde, tuam tua munera magna
Suspendit tibi grata chelin, quum sola trilicis
Orbis ad inuidiam docuit, qui classibus illac
Actus, & emeritis auidus didicisse magistris
Vidit Hyperboreis viguisse Platonas Athenis.
3. Sic genio blandita suo, pietate præire
Credidit, impietas si nulla superfuit aris
Vestiganda suis. Hic tu nigrantibus alta
Nocte tholis prior horrificum chaos absterfisti.]
Qualis Erythræas quũ prima reuerberat vmbras
Purpureis Aurora notis, quæ diuite palla
Vestis inauratæ, fimbisque micantibus ortum
Præcurrit formosa diem; premit ipsa iugales

Flammiuomi currus crepitantique axe rebelle
Raptantur per inane rotæ: stant noctua cælo
Sidera, sidereumque obuelant ægra nitorem,
Nubila diffugiunt, & auitum nacta sepulchrum
Præcipitantur aquis, indignantique susurro
(Flere putes,) pluuio celebrant sua funera rore.
4. Sic vbi Tu nostram premeres nouus accola terram
Quo te cumque pedes, & quo via duxit euntem
Extemplo latebrosa Erebi pallentis Erynnis
Incautos populata animos, & aperta latentem
Perfidiam velata fides, operataque probris
Relligio, tenebræque, errorque, laborq; dolorq;
Sumptes Furiarum in ahena repagula duras
Exilio secuere vias. Te vindice sacris
Interdicta suis veterum fugitiua Deorum
Colluuies ruit horrificas recidiua sub vmbras
Authori cessura suo, quem Panica turma
Faunique, Bromijque, & inania nomina Parcæ
Sacrilego mentita dolo se supplice fumo
Risit adorari: quem iam tum pronubus alto
Hausit amans animo Boreas, & amantior arcte
Strinxit Hybernia, conclusumq; tenacibus vlnis,
Admouit medijs non amotura medullis
5. Non si Sicani rabies insana tyranni
Indomitos odijs armata furentibus artus
Stet contra, ferrumq; nocens, flamamq; minetur.
Non si Sauromatas, non si freta liuida Ponti
Euxino concreta gelu natalibus aruis
Extorres mutare volet: quin læta recessu
Feret iter durum pietas, inamabile cælum,
Desertasque subire plagas, & inhospita tesqua.
6. Sed neque si plenam rapiat violentus opum vim
Fiscus, & æternos in egeno patre nepotes
Mulctet agens prædam; fidei feret omnia tutæ
Conscius; hac illi quanquam illætabile læto
Exilium mercede placet, iuuat ire rogantem
Externos heroa lares, stat viuere dono

Quin

Quia etiam facibus ſcrutantiſque intima tædæ
Sacra profanatis crepitarunt viſcera flammis:
Viſcera non obliqua dolo, non fracta dolore,
Degeneri non quaſſa metu. Ferit enſis anhelum
Guttur; & impauida ſtagnantem fauce cruorem
Vulnus habet; dant igne latus, dant colla ſecuri,
Et mucrone manus, & forcipe tota tenaci
Cędendos in fruſta pedes, iuuat vſq; morantem
Accelerare necem, properant impendere Chriſto
Obſtrictas in morte animas; ſua viuere damna,
Lucra perire putant, & adepto funere gaudent.
7 Talibus illuſtres ſtudijs, & amore calentes
Edidit emeritos Academia veſtra magiſtros,
Vis vt nulla fidem, non vlla potentia poſſet
Tam ſolidis nixam conuellere fundamentis
Nec didiciſſe ſatis, nec adeptam fortibus auſis
Propugnaſſe fuit: placuit maiora probare.
Tingere victrices ſine ſanguinis imbre coronas,
Et coniuratos nihil expectare tyrannos;
Non clibani, non enſis opus: ſua quemq; tonare
Claſſica, quemque ſuis ſua tela laceſſere telis.
Diſplicitum placuiſſe prius; bacchatur amoris
Ira loco, victore libens cadit hoſtia victo.
Sic ſæuire ſapit; Veneri data fræna furentis
Ferrati ſcapulis apices, colloque minatur
Importuna chalybs; calidis vibrata lacertis.
Itur in amplexus odiorum, atque vrbibus acti
Horrentes nemorum ſaltus, ſtabula alta ferarum
Indigenant, vbi commiſſos aquilonibus atris
Captat amans nimbos, tempeſtatumque ruinas
Excipit hoſpitibus per aprica mapalia rimis.
8. Hic ſolanda fames tenui dedit oſcula lenti
Delicias dedit vnda ſiti: ſic ſancta locari
Caſtra rati pugiles; ſic ſic fœcunda beatæ
Bella quietis agi, ſacramentumque tueri
Caſtrorum dociles, Martemque repellere Marte.
9. O ſeptęgemini decus immortale Trionis
Patricii, quem bibula complexa didaſculon aurè

Docta Palestinos reparauit Hybernia campos
Lucifugis populata suis, in eremon aprico
Versa solo, quæ diuiduis numerosa colonis
Æquauit superum stellis melioribus Orbem.
Non Pellusiacis ibi Paulus defuit aruis,
Prouida quem tenui satiauit amigdalus esca
Et folijs palmata suis, & frondibus aucta
Endromis ipsa fuit, gelido fuit vnda liquori.
Non qui Tartareis maior Belialibus vnus
Cornipedes Faunos Antonius & Satyrissos,
Informes animarũ vmbras, Lemuresq; Strigesq;
Fudit, & innocuos irrisit in ictibus ausus.
Non Pan, non Pambo, non Sarmata, nõ Hilarion,
Elias, Helenus, Vitalis, Euagrius, Efrem
Abfuerant; non virgineis redimita corallis
Agmina, complexus quæ dedignata viriles,
Natales oblita lares, quanquam impare sexu
Fictilibus vasis; sed enim nemora ardŭa votis
Tentabant auidis, & adibant passibus æquis.
Non viduæ virtutis opus, postica secundi
Turba chori, quæ delicias experta iugales
Spreuit, & impuris arsura cubilia flammis
Nunc mentita virum vetiti nunc agnita vultus
Indice, Tartareas modò vi modò fraude phalãges
Fregit, & occiduo reparauit Amasonas Orbi.
10. Sic studio prouecta tuo, sic munere fælix
Prima duùm numero, meritis tua Scotia maior
Sedibus æthra suis, Superos æquauit alumnis,
Egregiam laudem, summi decora alta Tonantis
Æterno modulata choro, nullasque canendi
Passa vices: velut aulai cælestis ephebi
Aligeri iuuenes, volucris fine pondere turba
Fælices numeros sacris concentibus explet
Alternis æterna modis: abit omnis in vnum
Vita melos, nullumq; cibi, nullumque sopores
Tempus edunt, nullis lucem nox corripit vmbris
11 Sed neq; Tartareas tãto dignata magistro
Nescijt illa domus, atque illætabile regnum.
Quin vbi mansuram (tumidis imperuia mõstris)


Suſpendit diffiſa fidem, credenda ſuperſtes
Vidit, & in patria reperit noua Tænara terra.
12. Nā qua parte pedo, (virtus erat enthea ligno)
Circumſcripta tuo eſt, dociles aperire iubenti
Infernæ patuere fores; Adamantina dudum
Clauſtra repercuſſo crepuerunt ιſta fragore.
Gorgonis implicitis coma cincinnata colubris
Vipereum complexa caput, fumantia late
Tempora conuulſit; tumuere trifaucia torui
Ora canis, triſtique gemens immane boatu
Cerberus, aduerſo ni ſtent rata fata tenore,
Miſceat Elyſias inimicis manibus vmbras.
Stant aduerſa tamen, ſtat ineluctabile ſummi
Conſilium Patris, & ſtudijs exercita multis
Multa manus, vulguſq; malis miſerabile multis
Diuiſis patitur ſecreta piacula pœnis. (mis
13. Pars calidos latices, & ahena liquentia flam-
Sulphureos latices, formidatamque metallo
Colluuiem, inſanas ſimili bibit ore fauillas.
Intus obit venas, torquetque nocentius alto
Igne plaudatos repetitus Mulciber artus,
Quos prior impuro Venus inteſtina camino
Vſſit agens tædas, & al ns in amoribus æſtum;
Nunc pœnæ dat acerba modum, recoquendaque
ſiſtit
Membra rogo.
14. Denſantur nigri glomerata volumina fumi;
Pix vetat eſſe diem, liquidi madet aula vapore
Sulphuris, immanēq; exhalat aperta Mephitim.
Parte alia inuiſi caueis ſtabulatur Auerni
Neſcia veris hiems, & aquis glacialibus horret:
Nix obit alta viam, locat amplas grando cauernas
Bacchatur pluuio feralis Aquarius imbre
Concreto tamen ille gelu, tamen ille pruina
In vitreos adamantas abit, ferrumque laceſſit
Hic pigrum luit ægra ſitum, quota turba ſopore
Marcida degeneri, lentoque effœta veterno
Deſtituit lacrymis culpas, gemituque latentes
Delicijs laſciua dolos; nunc vindice noxa

Plexa, suos patitur manes, stat ferrea duro
Circumsepta vado, solidoque innexa fluento
Hæret, & implicitos dolet ære tenacius artus.
Genua tremunt, venis sanguis fugit omnibus omnis;
Ossa crepant, malæ trepidant, immobile guttur
Murmurat, oppositis dentes in dentibus errant.
Algor vbiq; & vbiq; rigor, pallorq; tremorque,
Et macies inamœna, & plurima mortis imago
Ore natat: tamen algentes licet vndiq; circum
Bullit, & impastas depascitur ira medullas.
15. Stant prope liuentes quorum indignata momordit
Pectora liuor edax, & noxia viscera mandit.
Nūc rabidis (informe genus) dant nota colubris
Pabula, viroso modo vipera pasta cubili
Itque reditque vias, adituque incerta reperto
Ludit, & assiduos vestigat docta penates.
16. Sic meritis librata suis sua crimina cuiq;
Supplicij fecere modum: sua saxa fatigant
Sisiphon; & refugis vbi Tantalus imminet vndis,
Destituit sua pœna reum; labentia mersum (tem
Flumina frustrantur; simul & fugitiua sequen-
Irritant melimela famem. Sic æthere in alto
Inter opes it auarus inops, & egere negatis
Impatiens, nec dum docilis gaudere repertis.
17. Omnibus vna sedet Titij infælicis imago
Cui super incumbens edit insatiata volucris
Immortale iecur, quod adacto vulnere crescit,
Quod damnis indemne viget: sic tristis Auerni
Indigenas, vulgusque atri pœnale barathri
Occiduas animas, animata cadauera, lenta
Mors sine morte necat, funus sine funere soluit,
Irrita fœcundis incendia viribus obstant: (est
Materiam sibi flamma facit; quoq; amne necesse
Non licet amne mori; Stygios ita fertq; fugitque
Naufraga turba lacus, moribūdos pigra moratur
Pœna reos, portumque sua mercede petitum
Arcet, & admoto prohibet mansura sepulchro.

XVII.

18. Sic tua Tartareos penetrauit Hybernia tractus
Non egressa suos; sic ostia tristis Auerni,
Et ferrata tuo patuere repagula voto.
Tota tuum didicit calcato fœdere, rerum
Imperium Natura pati: Si frigora velles
Feruere, & aduersis glaciem dare pabula flāmis;
Iret in oppositas glacies arsura fauillas,
Cresceret ardor aquis, & amici fomitis æstu
Tæda maritales incederet vda pruinas.
Siue procelloso placidus vada turbida flabro
Æquore librari malles; immobilis humor
Staret, & attonitis mitesceret alueus vndis.
Siue magis refugo dispescere Nerea ponto;
Nereus exul erat: refugus sua fœdera pontus
Exueret, bifidique in gurgitis interuallo
Fissa peregrinam paterentur stagna lacunam.
19. Atque vbi ferali mors inuidiosa cupresso
Extulit exanimes, Tu morte potentior, orbæ
Exuuias animæ, diuortia dura vetasti
Coniugio superesse suo: sic barbara dignæ
Mors rea mortis erat. Tibi præcipitata caducas
Astra vias vertere, elementaque pigra quadrigæ
Corripuere fugata suæ rhædamque, rotasque.
Quin super attonito: sed enim quo fœnore tentem
Lassatum tantis Helicona lacessere monstris?
Prodigijs non meta tuis, non nomina poni
Vlla queant: non his pluuijs glomerata ruinis
Vellera tota niuis, non cæli tota sereni
Astra, nec æquoreæ globulis æquantur arenæ.
Scilicet artifici tua vox defuncta labore:
Posse tibi, placuisse fuit; fœcunda voluntas
Fudit opus libitum nutu: nunc æthere in alto
Quà legis egregio collecta trophæa triumpho
Nil minor ò in vota veni. Tu maxime charæ
Nauita pange celeuma ratis; vigil æquore in arcto
Cerne laborantes: non sit tibi cura tuorum
Non pietas in pace minor; Te vindice dudum

Tota venenatis aconita natantia squamis
Vna dies dedit exitio: modo plura supersunt
Vipereis ingesta dolis. Iam sibilat ater
Anguis, & æternæ grauiora pericula mortis
Miscet agens aconita, & noxia toxica spumat.
20. Tu modò, si veteres digne digessimus annos,
Duc simili noua pensa colo: si stirps noua primū
Credendum Te nacta patrem reparauit auitos
Ecclesiæ proceres, olim quibus ignea doctor
Imbuit ora calor, fidei noua vasa nouello
Digna mero: memorare tui, memorare beati
Seminis author amans, summoque vocate Tonanti
Dum modo, dum duros simulans nescire labores
Ludit, & Assyrij repetit stratagema tyranni,
Volue, reuolue tuæ, (uue irritare soporem)
Gētis Ephemeridas: Iam iam ruit impiger vltro
Hostis, & explicitum iugulo tenus ingerit ensem
Surge citus, fer opem; tutare potentior omni
Pastor ouile Lupo. Quondam tibi prona iubenti
Extemplo fugitiua aditis, & inulta ruerunt
In mare mortiferi Briareia turba colubri.
Ne modo victrici pigeat dare classica voce,
Ne lituo turgere, beatasque armiger ipse
Ad capulum confer manus. victoria vires
Suggeret, & lectis ruet in tua fœdera palmis.
Perfida sacrilegum Bellona minata flagellum.
Infælix damnabit opus, spoliataque ferro
Inferias referet, iam quum tibi prona sedenti
Lambet adoratas, & hiabit ad oscula, plantas.



# METRVM SECVNDVM PHALEVCIVM


## DOMINO ANTONIO Barberino Cardinali.

*Oda appendix ad Orationem eidem Principi ab Authore descriptam.*

1. ANTONI decus Aulonis perenne,
Tuscæ nobilis ambitu iuuentæ,
Quem Natura beatiore nixu,
Et partu meditata delicato
In Florentibus edidit viretis
Circumsepta rosis amœnitatum,
Et mixtæ niuis elegante pompa,
Quà puris azarota lilietis,
Qua bellos amaranthulos, glabellos
Narcissos, Hyacynthulosque, mutos
Infanti dedit anteambulones.
2. Hoc Te scilicet ominante cultu
In cunis Charitum, obstetrice Flora
Ornandum bicoloribus præiuit,
Quem nunc ambitiosa Floridorum
Arsit Roma suo inseri roseto
Bis tinctum modò, bis reciprocante
Distinctum generosiùs co ore,
Et quem Sidonio bibunt aheno

Du-

Duplo coccina muricata succo,
Et quem vellere cycladatus albo
Pigra Caucasus induit pruina.
3. Sic prima ciio pube candicasti
Cygnæi niue pectoris, supremi
Senatus dein imbuendus ostro
Sic illustris vt esse desiisti
Illustrissimus esse debuisti.
4 O cuius stratagemmatis laborant
Infinito operi impares Camenæ
Romana, Attica, Gallicana quæque
Hybernà glacialis vndà, amante
Tanti Vindicis incalescit æstu.
Parco parce benignior poetæ;
Talis conscius indolis, beandas
Inuolui taciturnitate laudes:
Nimium meritis tuis recensis
Plusquam purpurea toga rubescis.



# METRVM TERTIVM.

## TRIC. TETRAST.

EXCELLENTISSIMO

ET ILLVSTRISSIMO

EMANVELI

DE MORA

Marchioni Castri Roderici, Catholicæ Maiestatis ad S. Vrbani VIII. Oratori, &c.

*Fuga humanæ gloriolæ.*






NESCIT secretis ardua postibus
Sors obsideri: nulla decempedis
Metata priuatis honoros
Porticus insinuabit ausus,
Tumultuosæ saxa crepidinis
Quæ vellicanti vapulat Africo
Quacunque stridentem ruinam
Præcipitanti simul inde vestes

Et

Et fulta prono calle repagula
Insanienti mole valentius
Raptant in aduersum, rotantque
Sisiphio reuehenda tergo.
Ructara tristi flamma Typhoide
Fastigiatam pyramidem obruta
Potentius, pollentiusque
Radit iter vetitum: premitque
Opaca aprici corporis ambitum,
Et contumaci pone subit gradu
Non vmbra cedens, sed negato
Isse volens violenta passu.
Princeps superni fœnoris ambitu
Pertæse terras, quam rutilas notis
Illustribus, nolens notari
Lucifuga radiosus arte.
Nam nec figuram, nec tua nobili
Concedis addi nomina marmori,
Mirentur vt seri nepotes
Claustra tuo fabrefacta censu.
Non te Lysippi, non Phidiæ labor
Sublime signis pegma Corynthiis
Iubet vetustatis cachinno
Flere minas, & inulta passis
Obliuiosi verbera seculi,
Luctante longis celte silentiis:
Caues Colossos, ac loquacis
Dulce lucrum, & leue mur mur auræ.
Tu Christiani pectoris atrio
Lenocinantis sibila gloriæ
Exsibilasti, ne canorum
Ludibrium daret aurâ gasæ
Bene ominatæ dotibus, entheæ
Æternitatis quæ prior infulas
Mercata, non exhauriendo
Fundat opes opulenta cornu.

Euentilatis ergo Fauoniis
Damnas loquenti damna ſilentio
Quæ fabricando ſem nata
Grana ſolo, Tibi mille pendent
Multiplicatis fænora meſſibus,
Iouem hoſpitalem pollicita fide
Ni quid coercet, quidue Iberi
Faſcinat agricolæ labores.
Dediſce mutum, da refugas manus:
VIRTVS latebræ neſcia ſordidæ
Perrumpit obſtantes tenebras
Luce magis radians fugata.
Fœcunda laudis eſt fuga: quæ premis
Nunquam reuelanda Æolio impete
Multiplicabunt (vt recuſes)
Eulogium popularis auræ.
Eſt flamma virtus impatiens premi
Virtutis eſt laus, luminis vt comes
It vmbra, conſtanter negato
Iſſe potens violenta paſſu.



# METRVM QVARTVM HEXAMETR.

## REVERENDISSIMO PATRI FR. IOAN. BAPTISTAE à Campanea, totius Ordinis Minorum Sancti Francisci Generali recèns electo.

1 EXCIPE decursas Vmbro generosa parente. (texit
Religio victura dies; Tibi sera re-
Parca glomum; veteres reuolubilis Atropos annos
Circinat instaurans, senijque plicatile textum
Orsa colo meliore trahit; vestigia dudum
Pressa remetitur; cunas, pubemque beata
Pube nouat, croceo quondam tibi deflua filo
Altera fælici dispensat sæcula fuso,
Et ferrugineis, & ahenis aspera pensis
Ditior obriso cudit formosa metallo.
Sub Ioue Saturnum reparat, solemq; benignum
Explicat, & priscum fundit sine fæcibus aurum
Dum Phaëtonteas docilis vitasse ruinas
Po patre Seraphicas moderatur natus habenas
2 Tantus Atlas tanti ferret latera ardua Mundi.
Tale caput regni decuit Capitolia; talem
Optàuit sibi Roma ducem, cui regibus orba

Tra-

Traderet augustos socio sine Consule fasces;
Quem modo tergemino concors respublica cætu
Cognatum legit ausa caput, fratremque salutat
Quem patrem confessa timet: Tantus sine fastu
Scribitur in fastis, quanquam diademate nullo
Fastigatus eat, nec peplum discolor ostrum
Purpurat, & pictas in sanguine seminat iras.
Ipse paludatas cycladatus puluere costas
Mite supercilium monstrat; timet ipse timeri
Obsequio certare volens, animumq; canenti
Addit, & ignauo fundit spiracula buxo.
3. Ergo age cui bifidum simplex Helicona fatigat
Laudis opus; cui Pieridum mensura sororum
In numerum Syrenas agit; simul ipsa sonoros
Agglomerat gauisa choros, dum magnus Apollo
Facundam per fila mouet conterrita plectrum.
Da veniam imparibus numeris, fastumq; perosus
Indignos dignare modos; nec despice rauci
Gutturis obsequium, quanquã tot diues Homeris
Excipis Hyblæa modulabile carmen auena.
Sic riui cum fonte meant, sic gurgite in alto
Quà domat æquoreas classis rostrata procellas,
Lataque veliuolo pandit vexilla profundo
Spumea castra locans, in eodem angusta phaselus
Ludit, & immanis partem minor occupat Euri.
4 Scilicet ipse Deûm pater arduus atque hominum rex
Qui sola graminibus pinxit, maris æquora Phocis
Et liquidas auidis subtexuit ignibus auras
Cum trifidi Tibi decreuit retinacula lori
Protinus exemplo docuit quid prona sequentum
Diuum dextra Tibi pluuio ructaret Olympo
Ilicet agglomerant Charites, chalatisque supinis
Dona vomunt; Themis arguto festina cothurno
Obnixas scidit ausa vias, censuque coacto,
Fudit Amaltheæ cornu exundante capellę
Immortale penu: Phrygius tibi fudit ephebus
Nectar odoratum, fortunatamque beati
Ingluuiem laticis; tibi propinata sequentum
Dono-

Donorum mensura sapit, tam grata venusto
Tanta venustati grauitas innexa, sereno
Ore sedet, tam secreto sub pectore duplum
Maiestas dispensat opus, quæ luminis ictu
Et fauet innocuis, & terret acerba nocentes.
5. Pandit honorum animum dignæ natalibus altis
Frontis honos, spondetq; thoros regalibus aptos
Fascibus, & meritas inuitat digna secures.
Ante diem Tibi præpetibus sapientia pennis
Canitiem properata dedit, quum pube calenti
Surgeret emerito iuuenis veteranus in æuo,
Quæ tibi, quæ teneris obstetricata papillis
Facundo stetit ore Venus, cum ferrea corda
Colligeres magnete tuo; quum te duce toruus
Fræna furor caperet glacialis inertia calcar:
Quo libitum quocũq; rota? Ceu quando peritus
Bellatoris equi sessor, rabida ora lupatis
Pondere terga premit, paribus thoraca flagellis
Stat sonipes, suaq; arma mouens, atq; ora fatigãs:
Ille indignantem temerè per cærula campi
Versat in aduersum, & varios rotat actus in orbes
6. Aut qualis patrio vocalis Apolline vates
Threycia dociles animabat pectine rupes,
Saxaque, syluarumque comantia robora duris
Cautibus eduxit: piguit piguisse Colossos
Sistra sequi faciles, & coniurata crepido
Exuit innatas iam non sua pignora quercus
Exilio mercata melos, populumq; grauantem
Passa, peregrinis gemuerunt arua colonis.
7. Sed defuncta tuo cedat Natura theatro
Auspicijs contenta; pauimentoque subacto
Qua super innixo moles operosa Colosso
(Aggere virtutum & precio grauis intersuso)
Ingerat optato cognata cacumina cælo.
Tactus amor recoquenda nouæ dare viscera vitæ
Quæ tibi dum veteres dispungeret vsq; colores,
Extulit egregium meliori pollice vultum.
Sic primis votorum annis, vitæque calendis
Ipse mares animos ad martia castra tulisti

Ob-


O huius ipse tibi docuisti fortia paruam
Stringere tela manum, vitijq; onerare rebellis
Ditibus exuuijs, seu pelle Lybistidis vrsæ.
Irarum Oceanum, tumidamq; furentibus vndis
Irritati animi rabiem tibi chara pudenti
Fronte relegauit placidi pellacia vultus,
Corde Charis: fastum supplici tibi iussit abesse
Deuexæ ceruicis humus, & plurima egenæ
Sortis auarities quum desponsata procanti
Pauperies alia tibi se sine dote iugaret.
O quantam illecebram genio obluctante repellis
Murmura dum laudum, & magnæ crepitacula famæ
Cristatosque apices, & innanem coccina fucum
Ludibrio Zephiri, ventisque volantibus icta
Ire iubes aliò, atque alios optare Quirites.
8. Altra verecundo cõstat tibi purpura vultu.
Stat casto nix digna sinu, stat digna viro vis:
Scilicet hac trifidi nubunt tibi dote secures
Ordinis, imperiumq; cauentibus vndiq; fatis
Ne fata signifero Christi fata sanguine dio
Relligio ruat, aut annis laxanda fatiscat:
Quin magis atq; magis rigidis in amussibus arcta
Tendat iter durum, tenuis qua semita sanctis
Elysios aperit spaciosa volumina campos.
Et ne lenta fides numeris: Te iudice plectrum
Musa mouet, subit ipsa tuum censenda tribunal.
Francisco genitore, tribus MINOR ampla maniplis (ipsa
Dijs iuranda phalanx, quæ quem modo tellimus,
Vexisti ad meritos votis concordibus olim
Officiosa gradus, non fastidita capessens
Munera, non decliue terens; quin semper in altũ
Duxisti tamen obnixum, tamen vsque rebellem
Altius ire volens, non admissura locorum
Ambitiosa modum, nisi quem capis ipsa coronãs
Clauderet egregium suprema potentia cursum.
9. Non ita suppositum fama est volitasse per orbem

Au-

Auguftas aquilas, victumq; per aera vectas
Roftra triumphato librafle bicornia Mundo:
Nec feptemgemino quamuis elata tumore
Tanta patet domitis Romana potentia terris:
Tanta nec Odryfias reuerentur iugera Lunas,
Immanefq; manus, & non fuperabile fceptrum:
Et minor eft vaftis obducta decempeda regnis
Qua laxant fe-cunq; loco, quam fubditur aufis
Terra fretumq; fuis, quā fas tibi protinus vndiq;
Arbitrio dare iura tuo. Fortuna fecures,
Et regum auulfas fcidit in diuortia fafces,
Ifthmon agēs: Ille Eoa obit, Nabathæaq; regna,
Hic Tyron, & medio quæ iugera Sole liquefcunt
Hunc Nili Catadupa timent: Illi Hefpera Thetis
Excipit extinctam reditura crepufcula lucem:
Aft alius, quem fors patrio vehit æmula cælo
Cingit adoratam Latio diademate frontem; (clas.
Sauromatas tamen alter habet, tamen alter Ami-
Atq; alius Britoni fubigit Tritona profundi,
Atq; alius Cymbros, alius te Celta coercet,
Contenti quicunq; fuis: Tua fola poteftas
Eoos Tyriofq; capit: tibi paret vterque
Indus, & Antipodæ. Nili Te fiftra fequuntur;
Et tuus eft Teutō, Cymber tuus; Hefpera Thetis
Audit, & occiduo veniunt tua fœdera Calpi:
Erydanus tua claustra lauat; tua Rhenus & Ifter
Vndiq; Romanufque tuis dat nomina Tybris,
Qua rigat Æneiam fæcundo flumine ripam,
Et qua Cæfareos quondam complexa triumphos
Fert Capitolino præfixa palatia cliuo:
Sauromatas fubigis, mandas qua Sol terit omnē
Occiduufq; oriensq; diem, qua circulus Auftri
Voluitur, & gelidi vergunt quocunq; Triones,
I ergo, fatifque Pater, votifque vocate;
I bonus; I fælix: fi quid, Stygis impia noftri
Meffuit ira fati: fi quæ labentibus annis
Mifcuit egregijs zizania perfida fulcis:
Velle, repelle citus, patulo noua femina dexter
Sparge folo.

Aggre-

Aggredere. O quantos aperit tibi tẽpus honores!
Fortunam victurus adi; Fer lo. a, iuuandus
Illius auspicijs, qui tot Te millibus vnum
Aurigam currumq; dedit, cui fœdere diuo,
Et premere, & laxas nosses dare doctus habenas.



# METRVM QVINTVM.

## TRIC. TETRAST.

### S. BONAVENTVRA Ord. Min.

R. E. Cardinalis, Episcopus Albanensis, Concilio Oecumenico Lugdunensi præsidens, Græcorum errores confutauit.


NONDVM furenti fræna licentiæ?
Nondum obstinati cornua Bosphori
Multiplicatis impetiti
Fulminibus repulere Diui?
Quondam impotenti robore Achaie
Ta Cælos, castra rebellia
dmouit astris; nunc auitis
Freta cadaueribus, furensque

Phlæ-

Phlegræa cælis bella reciprocat,
Pugnam insolentem perdere pertinax;
Martemque, maiorumque pugnas
Marte nouans acriore, tentat
Bene ominatum frangere anhelitum
Qua consonanti prodit amabilis
Duu-mvirum Nati ac Parentis
Ore Deus; tamen illa Amorem
Insanienti dogmate credula
Spirabilem so'o à Patres protinus
Fœcunditatem intersedenti
Sustul't inuidiosa Verbo.
At non beato perfida flamini
Intaminatam dedidicit fidem,
Quin Roma palantes Achiuos
Lene sonans monuit prius, quam
In Martialem truderet aream
Centuriato Concilij indice,
Qua concitatus Gallicano
Præcipiat Rhodanus Leoni.
Hinc in rebelles extulit agmina
Seraphicus dux omine, nomine
Fœlicibus, sacra tiara, &
Sidonio venerandus ostro.
Hic fulguranti fortis in ęgide
Illustriori puluere sordidus
Ecclesiastes, veritatis
Auspicijs, opibusque vexit
Periculosi Martis adoream,
Densata pilis pila reuerberans,
Multiplicato agone, monstris
Victor agens domitis triumphum.
Frustra bicornem Græculus arietem,
Frustra minacem stringat acinacem:
Hic Hercules profluenti
Scuta virum, galeasque voluit.

Fru-

Fruſtrà doloſo millia pegmate
Fundat recluſo viſcere qua drupes;
Hic diſputando diſſipauit
Mirmidonum Dolopumque nimbos.
Sic flexuoſo cæca ſophiſmate
Cognata Graijs ſpicula diſpulit;
Sic Sphingis errore implicatas
OEdipus inſidias retexit.
Nouus nigranti in limine Theſeus,
Quem virginalis viribus ingenj
Tenebricoſis non fefellit
Porticibus fabrefactus error.




# METRVM SEXTVM.
## HENDECASYLLABVM.
## IOCVS
## EDICINAE PRECIOSAE,
### HOC EST,
### Febris auro redimendæ.

VA ſeptemgemino ſuperba colle
Vrbs Orbi dominata Martiales
Extollit Capitolij ruinas:
Illuſtriſſima, principumq; magno
Prognatrix domus vna principatu
s cenſibus, infuliſque diues,

Etiam Dardaneo beata cocco:
Alternantibus obstetricibusque
Obscurum quibus hinc, & hinc planetis
Partu non nimis auspicante, binos
Effudit cumulatior nepotes.
Sed stagnantibus hinc opum fluentis,
Illinc nobilis alueo cruoris,
Qui septemplicis auctior peculi
Ingentem generis gregauit assem
Clauso degener ambitu, institisque,
Augustæ fuit Euclio crumenæ.
2. Alter succiduo grauatus ortu
Appendicibus, ansuilisque tantum
Ingentis patrimonij superstes:
Bullatus licet, & laciniatus;
Heroem tamen induens, superbi
Totos sanguinis ebibit trientes;
Et voti generosus, insolente
Dextram prodigus erudiuit ausu.
Non illam pluuijs Erythra gemmis,
Non aurum Iouis, aut adulter imber
Non æquet radiante fabulosus
Tempestate Tagus, Midas metallo.
3. Iamque exosus inane, compedesque
Angustæ stipis, & licentiorem
Truncari sibi pœnitens iuuentam,
Totas scilicet asperauit iras,
Irarumque acies, & inquietam
Torui pectoris impiauit aulam
Vaporum modò vorticante fluctu,
Aurarum modò ventilante flabro,
Ingrata statione vellicandos
Altis febribus obligauit artus.
4. Alter pluribus aduocauit oris,
Instruxitque Machaonas medelis;
Sed multos simul, & subinde plures
Elusit calor impotens medelas.
5. Vnus de grege doctiore Doctor
Euoluens penitam mali medullam,

Ger-

Germanum citus alterum monere,
Et multis monitum instirit rogare;
Si postliminio periculosam
Infirmo velit exulare flammam,
Non vllis putet amnibus lauandum,
Non vllis volet imbribus rigandum:
Non iam cædua sæpe, sæpiusque
Crudo brachia lancinanda ferro;
Venæ nobilis hydropim, metalli
Venam diuitis auream sitire:
Istis æstibus aptiora totis
Optari sciat æra præ lupinis.
6 Ille hæc abnuit, excutit, facessit,
Et febri negat ista temperanda
Toto pharmaca colligi ex Galeno.
Sic morbis ait illius mederi
Est vna mihi febre fœnerari;
Illum soluere febre tertiana,
Et perstringere me quotidiana.



# METRVM SEPTIMVM.

## IAMBICVM TRIMETRVM ACATALECT:

### Dæmon docilis.




1. ADESTO, adeſto ſcena nouitati noua;
Adeſte Comico leues proſcenio,
Heus bracteatæ vanitatis aucupes:
Monſtrum accipite totis petitum ſeculis:
Audite dæmonem (vt Dijs placet) bonum.
Videte candidum (color is Orco nouus)
2. Eremus olim quando continentia
Tetendit arcum luna cui iugis foret,
Seueritate fulminantis imperj
Obduxit altè compedem adamantinum
Inhoſpitalis ciuibus coloniæ
Ne quis ſecreta deuſus paropſide
Lenocinanti pabulum daret gulæ.
3 Vbique cautum eſt: quamuis impotens fames
Laſciuientem ſubderet pruriginem,
Rotaret artus, viſcerumque tunderet
Inane caſtrum, conſitam nihilo ſcrobem
Sitiſque ſiccà torreat fauces febre.
Eremus acri Belides daret ſiti,
Eremus altæ Tantalos ferret famI.
4. Sed lancinantes aculei indigentiæ
Monaſtici arcus luna ne iugis foret

Ner-

Neruam remiserunt: siquidem cœnobii
Alumnus increpans inediæ moras
Ouorum anhelans, atque anhelanter procans,
Dum coniugali deforet Gallus thoro;
Ipse obstetrice circuit matrem manu,
Fœtusque adoptans, oua (quam pius pater)
Laciniata corbe seu cunis locat.
Coquenda certe, cocta seu dein forent
Frigenda, seu sorbenda sint potis coquo.
5. Iamque illa visum extemplo lucernę super-
-Posita (subacta scilicet sartagine)
Charta vicissim voluere & reuoluere:
Volvit, reuoluit: dexter est Pater popa
Charta sartago, litterarum anaglyphis
Cælata punctim, pyramis flammæ pyra
Arundo graphium, lychnus est ligni strues.
6. Exinde Lector (I para par aurium;
Ego altiorem fabulæ partem paro)
Obambulabat præsul hac identidem
(Grammaticus vt sis aut Syrus) Is Abbas fuit
Vin' qualis Abbas? Vmbra plenilunij,
Hominis silicernium, mortis anteambulo,
Macariorum maximorum maximus,
Meditullium, medullaque obseruantiæ;
Qui de tenuibus & pusillis reculis
Discriminabat vnam apicem & alterum iota.
7. Hic ergo obambulabat hàc identidem,
Et scipionem vectitabat iam triceps,
Infame gibbum decrepito tergo tumens,
Et commeanti vellicarunt eminus
Ter, delicatam aurem sonorum velites
Circumforanei, proditoresque latebræ
Rauci fragores, qui recens coagulo
Stridente abibant dum subacto flamini
Immurmuraret liba contumaciter,
Inter-que-cisa Martios bombos daret.
8. Hic hæret Abbas, & docilis auras sequi
Cubile certo, iam coquinam certius
Notat, recludit pessulo: patet Pater,

Patet popina, & murmurat fragor magis,
Ipsusque ringens dentibus dentes molit
Caput quiniffans, pedibus alternis minax,
Collum arcuatus, edita promuscide
Eructat iram: Heus (inquiens) homuncio
Satanæ satelles, præda pudibundæ gulæ:
Quis Te tuorum contumacem præsulum
Indictioni, ludicro vænum dedit?
Quis tam disertam, delicatamque imbuit
Mentem, manumque? quantus hic Academicus
Cui palato Apollinante prodeunt,
Ollæ patellæ, arundo, sartago, pira?
9. Is morsicante contumacia rubens
Volens rubore se tamen dissoluere,
Volensque positam quæstionem soluere;
Diabolus, inquit: parce seducto Pater.
Vix ista: dictus cum diabolus adfuit
Medius duorum tertius fratrum choro,
Et detrahi questus sibi, iurat Stygis
Diuam paludem: præditumque verò vadum
Præiudicasse, postulandum protinus
Diis manibus Monachum; inscium se eatenus
Torrere lichnis oua clancularibus;
Hinc insolentem sapere fornacem gulæ.
10. Hæc imbuendæ schola superfuit Stygi,
Cum delicatè dæmones lasciuiunt,
Monachis magistris dæmones lasciuiant.



ME-

# METRVM OCTAVVM HEXAMETRVM ENCOMIASTICON ANNALIVM ORDINIS MINORVM S. P. N. FRANCISCI

Auctore

*P. LVCA VVADINGO*

Hyberno Waterfordensi.

1 QVÆ, modò Cecropium meditatur dextera peplum;
Quæ Phrygiam dispensat acum, preciosaque fila (auro,
Versicolorato miscēs discriminat
Et noua decursos expandit imago colores,
Magnanimum heroum, quotquot per funera fortes
Proiecere animas, & qui sine sanguinis haust
Arida pacatis celebrarunt bella lacertis.
2. An noua diuiso redeunt commercia Mundo?

Et chaos, & stygii remeabilis vnda barathri
Laxat amans animas, alioque sub axe, Latina
Primus in historia Crispus tonat? an magis ipse
Marte potens gemino; atque alio Rubicone superstes
Infert se superis Cæsar, dextramque disertam
Occupat Augustus graphii melioris honore?
Anne olim exanimi rediuiuus Mæonis arte (ius
Fert reduces in castra fides? aut quid modò ma.
Nascitur Iliade, & subigi superanda vetustas
Posteritate volet? Videt omnis, & inuidet alto
Argumentum operi, non hoc graueolentia cælo
Nomina signari, bifidum qua baltheus annum
Signifer exorditur inextricabile textum.
Phidiacà noua signa manu, noua sidera surgunt:
Tempus scriba nouum reparat; procùl omnis ab omni
Musa libro lasciua, cothurnataque Camœnæ
Syren omnis abest operi. Non hic notat vsquam
Fœda profanatis innexa piacula Diuis;
Innexas maculas stellis, vbi lactea cæli
Orbita degeneri rubuit confusa pudore.
Vim Iouis incæsti, formidatumque pudicis
(Insignem pietate) Deum; non Lemnia Martis
Vincula, nec tumidas Titania castra phalangas
Ausa Deûm inuasisse domos; nec Iasonis Argô,
Nec Phaëtonteas subigit per inane quadrigas.
Non nemus Elysium celebrat; non cæca retexit
Œdipodionii doctus problemata Sphingis:
Arua nec Hesperidum, priscæ cõmenta Mineruç,
Quæ vitium virtute metunt, dum fœta veneno
Vasa nitent, placidoq; placent in carminê furta;
Et modò securis scelus est imitabile terris
Quod cælo didicisse volunt: Iam lubrica cõplex
Numen adulteria excusat, iam manat in omnes
Immortale nefas, & quæ scelera esse priorum
Desierant, exempla manent; sua pagina crimen
Seruat, & æterno viuunt in funere mortes.
Dignior hic stadio & trutinando tempore, cælis

Ducit Olympiades, lustrisque sequacibus æuum
Circinat, Assyrias sistens Hecatomben ad aras.
Par prisco, disparque choro; si læta recenset
Comicus, ast alia scenam peruadit aluta,
Atque alio tragicos dispensat Marte cothurnos.
3. Qualis odorati docilis violaria Pæsti
Ambit apis, circumpexæ quę remige pennę
Cæruleum per inane volat, rostroque liquenti
Bombilat; & trepido mussat graue rauca susurro.
Iamq; emensa vias per aprica virentia, nunc hac,
Nunc illac subit, & notam sua pabula messem
Florentem Cythisum, eanique niuosa ligustri
Vellera, rubra rosæ; casiam, myrthumq; thymũq;
Prona petit; quin algentes ferale cicutas,
Nigrantem helleborum, & graueolentia cẽtaurea
Auersata nihil, nocuas impune per herbas
Errat, & ambrosiis legit oscula pura labellis;
Inde fauos molita, vnde immedicabile virus
Sugit, & insanos meditatur aranea fuccos.
4. Talis hic antiquis infert diuortia fastis
Tam castum complexa stylum, cõplexa loquendi
Pondus, & attonitas numerũ qui surrigat aures.
Si qua locum laus inueniat; si digna diserto
Fama libro seros deceat motura nepotes
Virtutũ illecebrâ. O quantos leget æmula palmę
Certantes heroas, & hiabit ad inclita castra
Posteritas, haustura operis lituumque tubamque.
5. O quãtis repetita animos bella horrida reddẽt,
Quæ præiudicio similes puerique senesque
Bis teneri, & teneræ Mauortia turba puellæ
Immatura licet telis, matura triumphis,
Sed simul impauidos certatim adnixa lacertos
Indixere Stygi dociles, dum vindice fortes
Nunc saxo thoraca terunt; nunc terga flagello
Depectunt, modò setosis latera vtraque peltis
Inuolti obsessas catephracto tegmine costas,
Nunc terebris veprium fracti, nunc fortius ausi,
Algentes animis ridere calentibus vndas,
Atque alia, atque aliis Orco depangere formas.

Classica, lenonemque infestis Cyprida signis
Cogere conductis ruere in sua funera flammis.
6. Argumentum ingens, geminos vbi doctor amores
Fœlici trutina librans, & amussibus æquis
Dissimulans simulare notat, fœdamq; fauillam
Follibus excussam puris, & virgine vento
Obijcit AEolio ludibria digna flabello.
7. Nec tamen è triuijs facili legit ille paratu
Fastorum seriem, canæ monumenta cohortis:
Quin cæco defossa situ & migrantibus vmbris
Squallida, iam postliminio, septemplice vestit
Sole paludata, & rediuiuo lumine cingit,
Lustratisque suo; um arcano in Marte maniplis
Tergeminas acies sub eodem Consule censet.
8. O quem te memorem vindex virtutis auitæ,
O ingens anime, & nullo superabilis astu,
Macte opere augusto, macte immortalibus ausis
I viridi virtute senex, cui militat Orcus,
Cui coniurati repetunt sua secula Manes
Rursus & aduersas mittunt aconita medelas.
Namque voluminibus licet indignata dederunt
Auspicium commentatus, operisque beati
Subdidit egregiis sua rudera fundamentis
AEtas cana patrum, fictique licentia mendi
Siue vbi Phæbeos memorat Phaetonta iugales
In pœnam subijsse suam: seu fracta gigantum
Castra monet, quū monstrosis pepigere lacertis
Addere Phlægreis Athon atque Caphasea cāpis.
9. Hæc fastis parerga tuis; hoc sigma vetustas
Tentabunda dedit: Tua sunt fastigia veri,
Sunt veræ virtutis opes: Tibi paupere diues
Turba penu, optatoque libens sudore, petosa
Et currus & equos, aperit Phaetonta iugales
Ad pœnam subiisse suam: concordia castra
Fraternas acies reparas, vbi vera peritus.
Bella ducemque doces, Vmbri qui ex vrbe Subasi
Auricomis thoraca notis, plantasque volasque
Iam *Cruce-signatus* tot millibus extulit author

Militiæ vexilla nouæ, quibus hospes Olympum
Pone legens, decliue poli per concaua vallis
Carpat iter, prono subeat fastigia passu:
Cui lucrum iactura ferat: Dux ipse præiuit
Assisius data castra, vbi prima pericula pactus,
Et quintumgemina traiectus arundine corpus
Omenia reliquis; simul is, simul omnis in vnum
Ambitiosa necis valido ruit impete vitam
Præcipitare sequuta phalanx. Sic funere fungi
Dulce malum est: rigat effusus cruor vndiq; vtrūq;
Cogna... torrente polum, simul vltima Thule
Cruda ...ue fraterno rubuerunt Bactra cruore.
10. Nec minus egregiæ dictas stratagemmata pacis
Fœminea congesta manu, quum Phosphora cæli
Clara noui Capitolinis præposta fauillis
Prudentum ductura choros per opaca coruscos
Iussit inocciduo succendere lampadas igni
Virgineos vincire sinus, & firmare plexo
Voluere complicibus anteambula lumina spōsis.
11. Sic geminę Tibi messis opes; si tincta rubēti
Murice serta placent, Tyrio rosa vernat amictu
Flagrantes succensa genas; si candida mulcet
Flora magis, niuibus certant tua Lilia puris
Delicias diuersa nouant, vbi flore perenni
Alternum modò candor habet, modò purpura campum.
12. Tu nouus ancipiti mirandus imagine Ianus,
Cui gemina stat fronte acies: simul obuia coram
Deuia pone vides; pariter tibi lapsa recurrunt
Sæcula, quæque tuos rotat orbita serior annos.
Stat sua cuique fides; nec te mentita fefellit
Torua vetustatis facies, confusa dierum
Longa retro series, longi gula temporis audax.
13. Sed nec inexhausti scena infinita laboris
Qua-se-cunque polus versat, quà maximus Atlas
Vertitur astra locans; Annalium immane theatrū
Orbis habes gemini: Repetis quoscunq; beato
Ausonis ora sinu, terrarumque inclita Roma

Seraphicos heroas habet, quoscunq; propinqua
Illyris, immenso quidquid videt Adria ponto,
Quod Geta, quod Siculus, quod Sarmata, quod Mæotis
Ponticus, & Scythiæ messor Tanaiticus oræ:
Quidquid inhumani Saracenica semina Turcæ
Hellespontiaco furiunt immane profundo:
Quod Nili cataracta sonant, quod saxa Niphate,
Quod Babylon, Sydonque sciunt, celebrataque Musis
Memphis, & Assiriis Solymi data præda tyrãnis
14 Quam bene primæui desponsas nomina Lucę
Alter *Apostolici* doctâ qui celte senatus
Actaque, quæsitosque subacta morte triumphos
Scriba refers: Tuus ecce tuus sub limina Lector
Incipit heroas simul ipse *Theophilus* actus:
Sic fato succedis ei, sic solus ab vno
Omen habes geminum: Pictor tibi præuius iuit
Diuus, & artifici tinxit lita corpora guttâ;
Tu tenùs insequeris totos quin simplice ductu
Hoc simul illud agis, paribus lita corpora guttis
Auctoratus obis, iam quum tua littera spirans
Exanimes post busta nouat, facundia diues
Induit innumeros vultus, atauasque legenti
Sistit Apellæis animata coloribus vmbras.
15. Te tua laudabit, Tua te mansura vetabit
Musa mori, seramque dabit post funera famam.
Et tua laudatos imitabitur orsa labores
Posteritas, quà purpureo Titanis in ortu
Aurea lucifugas Aurora reuerberat vmbras,
Quaque superpositus, radioque nocentior alto
Vrget Sol stimulos, medioque adolescit olympo;
Denique quà pronos in Ibera cubilia fessus
Vrget sessor equos, & amicæ illabitur vndæ.
16. Viue volens, serosq; tibi secet Atropos annos
Nestoreos annos, repetitaq; sæcula; serum
Sperent te Superi ciuem, tardusq; beatam
Ambrosiam conuiua refer, quum tempora circũ
Ludet, & emeritos tibi cinget adorea canos.
Quum-

Quumq; procata diu Fortuna nitebit honore
Fortunata tuo; cupidoq; vt reddat Olympo
Inuiti desiderijs Te subtrahet Orbis,
Tu quoq; Maiores inter numerabere nostros;
Emeritos augebis auos, aliosq; Minorum
Annales implebis, & in tua nomina fælix
Pagina discurret; quibus olim exempta superstes
Materiam post fata dabis, scribendaq; scribis.

# METRVM NONVM TRICOL. TETRASTR. IN ACCESSV

Eminentissimorum Principum Francisci, & Antonij Barberinorum Cardinalium ad S. Isidori de Vrbe.



VC temperatum Delie Barbiton,
Buxúmque tende, & multiplici fide.
Discriminatos hic susurros
Bistonio meditare plectro.

Huc


Huc huc periti carminis arbiter
Vates eburno pectine musicus
Tendat catenantem sequuta
Saxa chelim, Emoniaque tergum
Decliue syluæ, dum cita lubrici
Vetat cieri verbera Nerei;
Hic Colchico conchyliatos
Vellere, Dardanioque cernet
Ostro togatos: hic tener hospites
Transuentilatos auster obambulet,
Stagnent canales, supprimantque
Deciduæ rude murmur vndæ.
Tuque inuolanti prona Fauonio,
Cui bracteatis picta coloribus
Molli pauimento perauras
Exiliunt azarota, surge
Succede campis Flora procantibus
Lenocinanti Syrmate frondium
Succincta lumbos, sinciputque
Pexa capillitio rosarum.
Et tu superbæ verticis ar-am
Laciniarum plexa tapetibus
Pomona, nunc puras ligustro
Suda genas, niueoque vultum
Serena nimbo; nunc minijignibus
Succensa, pulchro funde penum sinu,
Ornentque truncos arcuentque
Precipites melimela ramos.
Dum flexuoso pampinus ambitu
Fundit racemos vitis in vlmeo
Fœcunda complexu propinet
Purpureum temulenta succum.
Par Barberinum, par procerum togâ
Sygoque pulchrum: quos honor Attalo
Riualis ostro, subiugali
Nube super, viridique velox

Dota-

Dotauit æuo, magnifice locant
Suo beatam præsidio domum,
Quæ Roma Francisci tuetur
Progeniem generosam Hybernos.
O quæ diserta vis opulentiæ
Quæ gestientem sistra iuuent domum,
Pæanque, plaususque, & canoris
Fusa tubis, lituique fusa
Et Martiali classica tympano;
Quanta hospitales dant Corybantio
Curetes ære: Eia disertis
Fornicibus ter Io redundet.
Io sonoro flamine concrepet
Reciprocatis murmura fistulis
Echo biformis, delicata
Pindaricum referire neruum.
Io rubentes ardua pyramis
Instauret ignes: pegmate nobili
Surgat Colossus, blandientem
Verna ferant propilæa frondem.
Fallor, feruntur! nidus Achantida
Laxat tonantem per liquidum æthera;
Cicada rostrum, symphonamque
Sollicitat philomela faucem.
Accliue pronis æquor Ethesijs
Lasciuientem suppeditat gregem
Nympharum amoenantum, & supinam
Crispat aquam Tyber insolentis
Rugà cachinni: Mollis Amadrias
Fastigiatam plectit adoream,
Palmamque præfert, & superbum
Populeæ diadema vittæ.
Æuum Saturni diuitis aureum
Submissa tardis regna trionibus
Rursum reorditur secundis
Auspicijs agitare; rursum
[illegible]

Su-

Sudata sylvis mella liquentibus
Eructat Arctos: augurot augurot
A Barberinis dulcitatem
Ambrosijs apibus refusam.
Felicitatis lubricat imbribus
Stemma beatum: Viuite, viuite
Par Principum, immortalitatem
Imperio numerare dignum.



# METRVM DECIMVM.

## ASCLEPIAD.

## FVGA AMBITVS AD EMINENTISSIMVM FRANCISCVM Cardinalem Barberinum Ord. FF. Min. quondam candidatum, nunc Protectorem.




1 CASTÆ flammigeri Penelopes proci
Experti Icariæ mentē adamantinā
Retraxere pares, (alter in altero
Correctus), tepidas inualidi faces.
2, O desideriis ambitus omnibus
O om-

O omni venerum peste nocentior,
Quamdiu terrigenas in vetitum nefas
Externis agitas indociles malis.
3. Ridemus Phaetonta ignibus obrui
Aurigare superbum igniuomum æthera:
Tranauit vacuum Dædalus aera;
Sed dum pone leui turbidus impetu
Proles Dædaleæ degener indoli
Altum limitem agit, præpetibus puer,
Immortale dedit ludibrium fabris.
4. Sic quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuuat: meta tumentibus
Euitata rotis, retrogrados iubet
Ad lectum geminis Æacon arbitris
Loratumque iugum Persephones pati.
5. Hæc si falsigraphæ Musa tragœdiæ
Mentitur typicis picta coloribus;
At non ambigua ludit imagine
Dudum cælicolæ Luciferi irritus
Damnatusque specu Tartareo labor:
At non Amphrysia fallit amystide
Adam vipereo mobilis ambitu;
Par non sorte pari; dira libido quos
Naturäi auidos non imitabilis
Egit præcipites exilio datos.
6. Ah verax tumidi progenies patris
Humanum temere deciduum genus.
Ah tandem studijs fræna furentibus
Tandem stultitiæ pone modum tuæ.
Non est ad superos pyramidum orbita,
Nec summo propior Pelius est graui
Ossæ innexus apex: Itur in ardua
Prono calle, Thronus sollicitos fugat.
7. O ingens Patruo proxime maximo
O pars Romuleæ prima potentiæ
Francisce, trabeà diues, & arduæ
Diues Dardanea verticis infula,
Quam præstat gracili purpura pulueri?
Quam distat Cynicis aula mapalibus?

Et magalia testudinis aureæ
Posticis laribus? Tu tamen entheum
Succolare iugum pronus, inhospitum
Subasi nemus & claustra procatus, hunc
Fucum Sidonij velleris, auream
Fortunæ illecebram, verna crepundia
Pressisti generosi pedis impete
Audax fręna pati. sed tibi contumax
Obduxit refugo Diphtera compedem,
Fatorumque tuorum orbita supplicis
Vitæ difficilem reppulit aleam,
Sic pellacia, sic icta solo, solo
Fortunæ resilit pila potentius:
Sic Tu dum luteo firmate sordidus
Bis Franciscus amas dicier, induis
Textam coccineo stamine cycladem,
Et voti reus, interuenis agmini
Vindex *tergemino quod graditur bene*
Francisco duce. quem purpureis notis
Præfers militiæ signiferum suæ.
8 O septemgeminis chare Quiritibus,
O Princeps patriæ, delicium domus,
Qui dum siderei fulguramabile
Vultus exoneras, & Charites iubes
Alternas bifidis tingere te rosis
Vernas imbrifera discolor iride,
Et sidit tumidi crista supercili
Maiestate minax. Te duce faustitas
Alumna imperij, Te duce dulcitas
Romanas acies, Ausoniæ oppida
Centum mellifluis imbuis imbribus,
Centum quadriugis arcuat essedis.
9. Auctorata tui nutibus ingens
Obses virgineæ Musa modestiæ
Defæcat niueis diues amoribus
Antiquum melos. Antiqua regerminant
Tecum nobilium sæcula Cæsarum.
Per te Pegaseo multus Horatius
Errat remigio per meritum æthera:

Te-

Tecum munifico multus inambulat
Mæcenate Maro. Me pietas tua
Miſcet Caſtalijs anſerem oloribus
Dictantem gelidis trans Helicen plagis
Hybernoque aquiloni. ingenij tui
Peplum Cecropiis textile laudibus.
Tu conſanguineo cantus Apollini;
Vrbani fidibus, Delphica quem comat
Laurus, mille nouis fila moues lyris
Auguſtis apibus, diuitis aurea
Tempeſtate manus, cum tua prodigis
Excurſura ruit dextra repagulis.




# METRVM VNDECIMVM.

## HEXAM. HEROICVM.

## GRAPHIA.

## NEMORIS TVSCVLANI VILLAE ALDOBRANDINAE.





ATVRÆ ludentis, aprici ruris
honores, (Quiritibus arua
(Gratum iter indigenis,) repetita
Vrbis ad inuidiam, canimus: Iuuat
ire per omnes

Ter-

Terrasq; tractusq; æui, & subnectere famæ
Fortunæq; fidem, quæ cespite sylua virenti,
Veste pauimenti, stagniq; loquatilis vndis
Tollat adorandum nemora inter frondea vultũ?
1. Musa peragrati dudum peregrina per Orbis
Ausonis imperium, & Romanæ prona securi
Regna, triumphales aquilæ quibus explicat alas
Cæsar, & Augustas aurigat rector habenas:
Dic mea Calliope quantum sapis, vllane tandem
Quo Te cunq; loco, quocunq; sub orbe vagantẽ
Error, & inuisæ captata colonia terræ
Extorrem fecere tuæ, tibi villa beatum
Visa magis complexa nemus, nemorisq; viretum
Quam quæ montani tumido tenus aggere cliui
Sat Latio speciosa solo, dilecta Lucullo
Tuscula, laxatas reduci victura Camœnas
Molle venustatis, varijque emblemate vultus.
2. Illac Argolici fælicia iugera campi
Elysium migrasse putes, sedesq; beatas
Fortunatorum nemorum, quà vere perenni
Florida messuros ignorant arua rigores.
3. Regna Deos diuisa decent; magnum æthera, magnus
Iuppiter author obit, fulmenq; per aë.a fundit
Cæruleos rigat vnda Deos: Neptunus amica
Tempestate madet; bacchantibus insidet Euris
Æolus, & cæcis metatur castra sub antris.
Mollis inoffenso per aprica noualia passu
Lasciuit Diana; Deos rus nouit agrestes;
Panaq; Syluanumq; senes; Pomona viretis
Imminet, & pleno graditur genialis aceruo.
Appendit niueo Pæstana monilia collo
Hortorum Regina rosas, atque ædibus exul
Sub Ioue, gemmatiq; cubat testudine cæli
Arcanas partæ sa domos, pectàsa supinum
Flora tholum, sortemq; suam maria aspera nollet
Turbidus æthereo mutare tridentifer axe,
4. Iura omnes diuisa decent: sed Tuscula Tempe
Mirati, riguumq; nemus, glebæq; virentis

Spirantem illecebram, lenonemq; Orbis Hymetũ
Protinus vnam omnes fixo fecere cothurno
Dijq; Deæq domum. Pluuias ibi Iuppiter auras
Sole repercussas, radioq; micante superbas
Dum rotat, & pictos medijs secat orbibus arcus,
Cælestem artific molitur in iride circum.
5. Ipse sui Neptunus amat spectacula regni,
Et modò discurrit placidis argenteus vndis,
Spumanti modò bile tu nens, cælumq; lacessens
Obijcit ipse sibi se, vndasq; repercutit vndis.
6 Chloris in occiduum pulchra. ver frõte laborat
Florentes crispata comas, & gramine multo
Plexa capillitium tremulis vndatile ventis
Dum Zephirus fuso per eburnea colla flabello
Pectinat ambrosios simili discrimine cyrrhos.
Ipsa suo fœcunda sinu, formosa colore
Sanguinolenta genas, æquoq reciproca lacte
Lilia purpureo gestat confusa roseto.
7. Accurrit numerosa Charis, docilesq. vocari
Hinc atq; hinc geminis glomerantur Oreadis alis
Ver omnes, ver omne gerunt, calathisq; supinis
Larga per attonitum dispensant cynnama campũ
8. Dignior augusto, censuq; valentior, omni
Autumnat Pomona solo, cui turgida succo
Vbera, rorantiq parens dulcedine lactat
Arboreos fœtus, & pignora diuitis æui.
Hinc gerit auricomo lapsura Cydonia ramo
Hinc melimela metit, simili addit amygdala partu
Damasci modo pruna parit, modo citria: tanta
Messe voluptati miscens fastidia, niquæ
Temperet effusos Syren moderata sapores.
9. Illud & istud agit, geminoq; crepuscula cantui
Gemina legit, docto vocalis sylua canore:
Namq; vbi lucifugas aurora volubilis vmbras
Præcipitat, nocuiq; calentia spicula Phœbi
Mitior occidua Zephirus disterminat aura,
Extemplo multum agmen agunt, multo ordine mixtum,
Præpetibus pennis functum genus omne volantũ

Tigna per & truncos, habitataq; robora villæ
Et liquida tenerum modulantur fauce canorem.
10. Prima resurgenti gratatur A credula Soli
Præcoci præsaga sono, facilisq; cieri
Faucibus eructat trepidis vibratile carmen.
Hinc Fringilla suos, ibi spirat Alauda susurros:
Nec minus & Merulæ reuolubile guttur acutum
Turbinat accentum, tremulamq; reciprocat odā:
Nec minus & notos molitur Achantis amores
Multa mouens, & multa mouens septemplice tractu
Mæandron Philomela facit; modò rauca sonoris
Inuoluit, modò molle melos liquat; ipsa colonos
Prona suos virgulta sequi, præruptaq; saxa
Tota repercussæ variant discrimina vocis
Aure tenus: labor est bibulo discernere sensu
Affines per inane modos; tam docta susurros
Musa loci similes fingit, resonabilis Echo
Tam simili viuam mentitur imagine vocem.
Tota voluptatis regio, cui charus amicas
Sudat Olympus aquas, cui tempestiua serenos
Spirat humus Africos, & coniurata Deûm vis
Versicoloratæ texit redimicula formæ.
11. Hac vbi tēdit iter veteris nouus aduena villæ
Prima peregrinos montana cacumina gressus
Planitiem calcare docent, ita molliter æquo
Pressa solo facilem sternunt conuexa meatum
Dum noua Romani surgentia culmina ruris
Puniceis formosa comis, venientibus vltro
Æternum stabili sistunt in fronde virorem.
12 Vestibulo ex ipso, primoq; è limine longos
Fissilis in tractus abit, irritatq volucrem,
Ancipitem tamen vsq pedem tot callibus vnà
Ducta per egregios similis sibi semita sulcos.
Hinc vocat, inde vacat: placet hinc, placet inde subire, (morari:
Aut magis attonito, placet hinc, placet inde
Dumque catenatus nequit omnibus extricari,
Optatum suspendit iter, fixusque reuisit

Ver-

Vernantes tumulos, textosq; in ſtamina rames
Florigeros ramos, implexoſq arcubus arcus,
Inuitum aduerſo quibus vmbra repercutit æſtum
Frigore, quæſitamq; hiemem ſua ſylua propagat.
13. Itur in immenſum, folijſq herboſa per omnē
Pubeſcunt virgulta ſitum: non lege ſoluta,
Nec vaga mobilibus ſubeunt Aquilonibus auras
Errantem promiſſa comam, quin forcipe plexa,
Et bifidum latus aggeribus complexa gemellis,
Subtus odora[illegible] s iaculantur amantibus vmbras.
Mollis Amiclæos illàc Venus vrget olores
Myrthea rura legēs: generoſa Daphnide vernat
Diues humus: ſalit elatas Cypariſſus in auras
Nigrantem frondoſa cutem, floremq peroſa
Pinus, & æquoreas abi[illegible]s victura procellas.
Et circumpoſitus dextra, læuaq Coloſſus
Implicat innexos hederis bicoloribus armos.
14. Hinc ſimul inuito didicit pede vertere, dudū
Hoſpes in arbuteæ ſuſpenſus imagine pompæ
Tranſit in aduerſum nemoris latus: Ilicet illic
Area compta placet tereti ſpiſſata cylindro
Floriferente coma, verniſq; interlita gemmis
Dum calicum gremio decumanos Flora colores
Dulce puerperium fundit; procul innuba fundo
Laurus abeſt, & abeſt ferali fronde Cupreſſus:
Non Veneri ſua bacca placet Venus ipſa ſubinde
Audet in abſtruſi nemoris penetralia ferri.
Teſtis, & alipedes tenerum vocat agmen Amores
Dilectam pertæſa Paphon: ſic diuitis horti
Dædala laſciuit, vario natura nitore.
Purpureo ſtant ore roſæ, tinguntq; pudicas
Sanguinis imbre genas, & nato murice flagrant.
Lactea candidulam prætendunt Lilia concham
Virgineos ſubitura ſinus, cinctuque beato
Non reparabilibus ſerto plectenda coronis
Cana liguſtra niues trabeant, toga lutea calthas:
Aurea ralla Croco fit, inocciduis Amaranthis
It conſanguineum folijs pubentibus aurū.
Explicat egregius Caſiam, & Colocaſia campus,


Et thymō, & melilotō, & auricomos Hyacinthos:
Et vos alterno Carophilla superba rubore;
Et vos securum paritura papauera somnum.
Deniq; non mensura dari, non nomina possunt,
Omnis odoratas omnes abit hortus in herbas:
Lasciuit semente solum, fulgetq; beatis
Aggeribus preciosa seges. Non plura Sicanis
Germina nata iugis; non sic Phæacia totis
Halant rura rosis, totis Hybla prona viretis,
Tota lacessiti cedunt violaria Pæsti.
15. Ecce autem aduerso calcatà scansilis vndà
Pandit se spacio, & cælo tenus exerit æquos
Scala gradus, non mussiuis tenuata lapillis,
Dura sed excisis solido de marmore lamnis
Ludit inexpertam temere subeunda phalangem.
Hinc, illinc paribus cælata animalia formis
Tam quibus alarum leuitas vaga verberat auras,
Quam patrium pressura solum, quæq; incita nato
Remige cōplicibus tōdent maris æquora squamis
Nant notis Delphines aquis, supera ardua tentat
Pegasus, & rigidas vento grauis explicat alas:
Hac lepori vulpes, illic lupus imminet agno,
Aduersis stant gryphes aquis. Haud dispare cultu
Ac quondam Solymo proles Dauidica sceptro
Nata, celebrandumq; Orbi meditata tribunal,
Sedis ebur niueæ, solidumq; in sede Elephantem
Egit in excelsum, subtus via scidit vtrumque
Vna latus, lateriq; Leo bissenus vtrique:
Excubias vtrinq; dabant, vtrinq; comantes
Falcati ceruice toros; stant guttura rictu;
Torua tument oculis, pigroq; minantia cruri,
Accusant vinctos animosa cadauera cursus.
16. Hic secus, exanimes dolus imbuit, arsque
facessit
Instabiles postica gradus, & perfida saxa
Destituunt lubrico vestigia credula fundo;
Naufragium sua ripa facit, simul icta superno
Sponda pede est, tectæ saliunt commissa lacunæ
Stagna, canaliculisq; reclusa patentibus vndique

Ro-

Rorida lympha ruit, simul hinc simul inde liquentes
Euomit insidias vortex; madet omnibus omnis
Thoraxque trabeæque viris, furit æstus aquãi.
16. Iamque vbi permixto gaudet confusa dolore
Irriguos matura gradus, succedit in altum
Hospita turba situm, villæq; cacumina calcat,
Quà nemus vmbriferum vernat, quà frõde virẽti
Gramineus blanditur ager, dum mollibus vmbris
Arua per, & sulcos fœcundam densus opacat
Ramus humum; fugat expanso velamine solem
Lucus; & in medio brumam sibi temperat æstu.
Lex sine lege loco est: paribus concurrere gaudẽt
Chara Ioui quercus, laurus tibi pulcher Apollo,
Pinus amica freto; sua glandibus imminet arbor
Chaonis, & prono melimela minantia trunco.
Malus habet; grauidis pendẽt pyra roscida ramis,
Lurida purpureo turgent vaccinia succo,
Ilex plena fauis, sua tusius induit vlmos
Pampinus, & tumidis vitis frondosa racemis.
Dixisses pulchri per aprica virentia ruris
Bistonias sonuisse fides, quum frondea vati
Lucus in exposito glomeraret carbasa campo.
17. Nec minus augusto nemoris specus addit honori
Lunatos virgata sinus, vbi cædua saxa
Arcuat imposito complexus circite fornix
Concaua discurrunt asarota per omnia, pictus
Tignat claustra lapis, bibulo stant pumice postes,
Crustati solida pendent testudine tophi.
Subtus humum tecto tacitus rigat alueus amne,
Vnde per abstrusos tumide confusa canales
Exilit vnda furens, crepitantemq; aere longo
Imbre vaporat, & horrifico quatit ardua tundens
Saxa sono: madet impacta specus humida lymphâ
Ipsa repercusso temerè defuncta fragore
Labitur, & noto cursim recidiua canali
Exulat, alternisq; repullulat icta ruinis.
18. Parte alia qua cliuosi sub tubere montis
Area deuexos castigat aprica tumores,

Surgit & ingẽtem gremio domus implicat hortũ,
Fortunata domus, quam non Acheloïa rauco
Murmura sollicitant fluctu, nulloq; lacessunt
Stagna refusa vado, non cautibus asperat humor
Circumfusorum nemorum, quin diuitis aulæ
Picturata tholum, laterumq; interlita crustas
Pandit Apelleo rediuiuos pollice flores.
Æmula pars totius, vbi ingeniosa gregatis
Immensum lenociniijs ars contrahit hortum,
Lilia parietibus pallent, rubet æqua rosarum
Purpura, luteolis violam bicolorat vterque
Imbribus; innocuo flagrat crocus igne; petisset
Naufragus hinc auido fugitiua volema labore
Tantalus; artificem facilis post Zeuxida falli
Irritus absentes peteret vindemitor vuas. (iunctæ
19. Tectum augustum ingens media testudine
Fecerunt Helicona Deæ: sedet arduus ipse
Phœbus, & arguta numerosus pollice dignè
Facundum depectit ebur; Subsidit amato
Prona magisterio triplici trias æqua sororum
Agmine, & ingenuo calamos complexa labore
Dissimilem simili modulatur arundine cantum
Concordi confusa choro; pars aspera tristi
Fauce sonat; pars virgineo blandita canore
Spiramenta liquat, digitisq; volantibus errat
Certa per exsectl sinuosa foramina buxi.
Digniorarcanas dispertitanhelitus auras
In lituos vox omnis abit; tumet incita tardis
Mala notis, sparsas vbi panda recolligit auras,
Dum spirat, respirat amabile murmur, & vsque
Digna verecundo sufflaminat ora rubore.
Sic p gra virgineo figmenta simillima vultui
Æternum didicere melos, sic indidit omnes
Fictilibus digitis ars ingeniosa sonores.
20. Pone laborantes decimo sub Apolline Diuas
Hinc tubulis grauida, hinc syphonibus organa circum
Par Musis meditantur opus; modo rauca boare,
Et fractis titubare notis, modò molle ferire
Do-

Docta melos,bifidoq; in vtrumq;reciproca ductu
Mille gerunt, regeruntq; vices;tamen incita nullo
Articulo segmenta volant, nulloq; premente
Errant mobilibus sublime sonantia signis
Aduersis alterna modis; spirantia credas
Ossa, canaliculis tacite salientibus acta
Vltroq;,citroq;;blanditurq; diserta canoro
Tempestas numero; dociles ita garrula venas
Vrget opus liquidum vitreasq; interplicat odas
Non superabilibus Syren inuisa susurris.
Monstra latent, stupet attonitis domus hospita Musis
Inuidiam factura Deis;stupet author Apollo
Ludibrium vndarum, volucrisq; loquatile stagni
Formosum precio sistrum pretiosius arte.
21. Cede Syracusij cælum senis: Abijce pulsum
Mentor ebur,cæsū Myro marmor, Apelli colores,
Et quidquid liquidis animans faber æra medullis
Atticus Idalias iussit simulare volucres.
Argolicum Elysium cedant & Thessala Tempe.
Tuscula (non metus est,)geniali sylua virore
Veste pauimenti,stagniq; loquatilis vndis
Tollit adorandu m nemora inter frōdea vultum.



# METRVM XII.

## CLASSICVM SAPPHICVM AD PRINCIPES CHRISTIANOS,

Vt Hyberniam nauis emblemate expressam adiuuent in Fide armis propugnanda.





IAM refragati patiens Trionis
Calcat obstantes abies procellas,
Et sub irato docilis retorquet
Vela tridenti.
Iam per aduersum pelagus superstes
Vrget audacem generosa cursum,
Nec reluctanti trepidat profundo ob-
-vertere proram.
Palmulam captat, trocheas fatigat,
Remigum totis locat arma transtris,
Auget antennas, ligat arcuandis
Suppara velis.
Cùm recrudescens Britonæ charybdis
Mugit horrendo rabies canore,
Et veternoso ciet inquietas
Æquore Phocas.

Sa-

Saxonas vltrò reparat biremes
Inſtruit pictis pelagus carinis
Pone lunatus ſubit æſtuoſa
Claſſe Caledon.

Quæ peregrinis numeroſa turmis
Nobilis pini latus omne laſſat:
Illa ſpumoſis tabulata conſtans
Vapulat vndis.

Vapulat ventis; Aquilona ſæuum
Sentit armatos glomerare nimbos,
Sentit impacti flabra rauca Circi
Nulla Fauoni.

Proh pudor! Quanti per amœna ripæ
Anchoris hærent, & inanis Argo
Vota traducens aperit negatis
Carbaſa ventis!

Proh Quirinali trabea rubentes
Quin citas trieres, & inepta frangi
Arma præfertis, cita præliantì
Arma paroni?

Tuque, cui tanti Iouis ales Orbis,
Dat bifurcato diadema roſtro,
Cæſarum Auguſtorum animoſa longo
Auſtria cenſu.

Tuque Tarteſſi dominate primùm
Nobili thyrſo, modò vectigales
Memnonas ducis; Tibi quæſtuoſus
Spumat Hydaſpes

Iber, Eoi moderator Orbis,
Mitte cunctari: neque ſegniori
Lilio differ tua Martialis
Signa Sicamber.

Sarmatæ ſpectant, tacitiſque claudunt
Tela vaginis; Adriæ petito
Arbiter partu piger obſoletis
Abſtinet armis.

Quàm iuuet Typhes pelagi iuuare
Prodigos magnarum animarum Hybernos
Hæ.cium scaphas, & iniqua pilis
Pila retundi.
Eia pugnaces Priami nepotes
Insuber, Cimber, Ligur, Vmber, Adrj,
Teuton armose, & metuendæ certis
Belga sarissis.
Ah lacessitæ propiate pino
Ah lacessendi VAGA sors in omnes
Peccat: Indoctus misereri inultis
Occubat vmbris.

# METRVM XIII.

## PHALEVCIVM.

## B. IVNIPERVS Ordinis S. P. N. Francisci, vt aliquando ægro ministrauerit.



VA fului latus arduum subasi
Vmbrã vallibus Vmbriç propagat,
Franciscus trifidum auspicatus hortum
Trisulci gregis. hinc cedros odoras,
Illìc complice Lilium Ligustro,
Ar-

Ardentum quoque purpuram rosarum
Virentum quoque Daphnidem coma.um
Sulcauit genelialius, maritans
Fælices sibi virgineum choræas,
Victrices sibi Martyrum cohortes.
2. Hic inter plataneta roboreta,
Hic inter citra, amygdalos, & alnos,
Et quincunque sua impares cupressos
His Iuniperus insuit, beati
Heres nominis, intimas (nocenti
Immunis carie) innocens medullas,
Dum consanguinei gregis Minorum
Sæuis ignibus æstuans alumnus
Duro lentius incubat grabato
Bacchante fame quæstuosus ibat,
Peribat, stomachum periculosum
Suprema miser imbuens orexi.
3. Huic Iuniperus adstitit cubanti
Plus ipso prope decubans cubante;
Irritare gulam disertus, omnem
Censum dapsilis obstulit popinæ:
En (inquit) tibi delicatiorum
Frena est optio tot cupediarum:
Si turunda sapit, sapitque mussum;
En turunda subest, subestque mulsum.
Seu quem de grege Nerei citari,
Seu fors Æolios voles volucres,
Aut quid quadrupedis placet trionis,
Aut frictæ placeant magis placentæ,
Seu veruecis amica morsicandæ,
Seu sit Ihasidis alitum cupido,
Aut fors sit leporum acrior libido:
Quoduis protinus arbitrare, quoduis
Quærenti citus institor requiram
Bigis ocior, ocior quadrigis,
Aurigante volucrior volucri,
Succollantibus Africis, & Euris
Pergam per mare, solitudinesque,
Per toruas feras Adriæ procellas.

Per ſpineta, per ilicetaque pergam,
Per dumeta, per arbuteta curram,
Ibo per ſalebroſa, per iugoſa,
Per ſaxoſa, per alſioſa pernix,
Per duras quoque naufragus Charybdes,
Per Mæotidis inuius paludem.
4. Ægrum nulla mouent: ſed, O ſuillum,
O ſi quando pedem feram ſuillum,
O ſi quando pedi teram ſuillo
Vicinum femur, & repente noto
Excurram pede præditus grabato.
5. Dixit: nec mora dictione maior;
Nam Iuniperus impiger propinquo
(Sic æquum ratus) inuolat vireto,
Et raptum pecus inſcij ſubulci
Detruncat pede: Villicus ſubinde
Miratus pecus, & miſertus orbum
Inſultat, fremit, impotens agreſti
Raptatur furioſus in theatro.
6. Ceu quando Mareoticæ peritus
Cacam Tigridis obſidet cauernam
Venator plaguliſque, retibuſque:
Abſentis rapit hinc & inde prolem.
Informem licet hinc & inde prolem,
Aſt effœta parens minuta partu
Voluit viſcera, viſcerumque rictus,
Et noto nemus ambitu peragrans
Spirat claſſica cædis, & minarum.
7. Hic Iuniperus obſtupeſcit altum,
Et viſo prope villico rigeſcit
Miratus doluiſſe, frenduiſſe
Trunca a ſue quempiam, ſuillum
Si quando femur æger eſuriret.
Dum ſedare tamen parat procellam,
Magni conſcius incipit videri
Magni criminis, inſolentiæque,
Et terram tenus incubans, dolendam
Damnat poplite deprecante culpam.
8. Aſt ignobile pertinaxque pectus

Irri-

Irritantibus æstuat medelis:
Nam strato prope suplici subulcus
Pugnum vibrat: at imminentis ille
Securus colaphi, osculandus vltro
Sese surrigit osculator ipse,
Et purum latus applicat subulci
Flammato lateri, premit prementem
Affaturque: Vir, inquiens, propinque
(Et verè fuit interim) quid illa
Tempestate tonas, doles dolore:
Num truncum pede claudicante porcum!
Sed frater pede præditus valebit.
An mancum male concoquis lucellum,
Truncata sue! sed satisne cælum.
An coxendice vilius suillo est?
En totum tibi quod capit sapitque:
Aucti te puto pœniteat peculi.
Sic fatus nouas ille nundinator
Facundissimus eloquente lucro.
Et iam vindicis impotentis æstus
Non plures rotat inquietus iras,
Non primas magis asperat querelas:
Quin suspensa reciproco stupore
Figit lumina; luminumque ictus
In constante reo actor, inuidetque
Nullum pectore conscio ruborem,
Et canas niuis imbribus medullas
Arcanæ niuis, innocentiæque.
Et stagnante supercilij tumore
Mitescit citus, & citus priori
Ingestus genio, suem trifurcam
Prædoni pius audet erogare.
9. O virtus mage virtuosa candor
Ex toto indice virtuosiorum!
O tinctura magis beata candor
Ex omni numero omnium colorum!
Plus compescere, plus fuit subulcum,
Ne truncæ fureret suis dolore,

Quam grunnitibus interire iussis
Ipsos sistere bestiæ boatus.

# METRVM XIV.

## ODA PINDARICA.

## S. LVDOVICI EPISCOPI

Ordinis Minorum, Sanctitas, & Magnificentia.

### STROPHE I.



1 RISCVM Pannonij genus
Quà stagnat altæ pigra Mæotis palus (brachij
Quondam inuidendi roboreFerale terris fortius
Martium cæli potiore præda
Frontem stelligeris vinxit adoreis
Protuberanti diues origine;
Instar palmitis ardui

Sparsis trans mare frondibus
Trans Alpium dorsum, & latus Pyrenes
Intulit vltrò
Digna triumphato regni diademata cælo.

## ANTISTROPHE I.

2 Illic sceptra Ladislaus
Sibi superstes, Stephanus stringit sua,
Vndante genitus de Berecynthia
Beatitatis cespitem
Prodidit digno LVDOVICVS ausu,
Cum primum aspiciens attonitum æthera
Vicit parentum posthumus agmina,
Quorum sub seriem cadit
Primum murice Franciæ
Franciscià tum lacernula nepoti
Concolor heros (honorem.
Sceptrigerum geminans cælo LVDOVICVS

## EPODVS I.

3 Hic nominis confinio
Par regi, tamen impari
Sceptra cognati renuit Pelori
Ostro coruscus regis abiecto magis
Maiorque summo, cùm Minorum
Legit pauperem pati.
Armatam scutica vindice dextram
Lassans sanguinea cute
Exornit diuiniore purpura.

## STROPHE II.

4 Ne quando virgineum decus
Intemperanti præda sit Cupidini

Quanquam pharetras ipse Cupidinis
Præferret ardentissimas
Flammeum miscens niuibus ruborem
Formosa facie, cui semel arbitrum,
Mox inquietum vulgus amabilis
Vultus incaluit face.
Quam parcus Venerum procus
Cuius corallinis labellis succulenta
Oscula libans
Inuisam regina parens tulit ægra repulsam?

## ANTISTROPHE II.

5 Vestigatus honoribus
Atque ambitu ambiente, contumaciter
Lenocinantes respuit infulas.
Quin dignitatum pondere
Pressus, ingratos apices abire
Vigebat, supplici sorte superbior.
Male ominatæ plebis amantior
Regalem illecebram indigis
Pullos dum parat, ociùs
Vt delicatæ fallerent regem dapes
Iussa videri
Obduxit vetitam cerni rosa visa volucrem.

## EPODVS II.

6 Hic Musa plectrum deprime,
Submitte buxum, & sistra sonantia,
Nec verecundi pudeat canoris
Taciturna fila, magna dum Mundi parens
Vires trophæis subiicit
Victrices LVDOVISIIS
Et bipartito legit in triumpho
Fulgur coccineæ rosæ
Eburque Lilii, & niues Ligustri.

SYLVVLÆ VLTIMVM.

# EVLOGIA
# ILLVSTRIVM
# HEROVM.

# SYLLABVS EVLOGIORVM



LE-

# LECTOREM

Huc etiam volo;



QVIN noloaccedat nisi ceteroqui satur; præmasum cibum ruminare. Non sapient ista incipienti. Bellaria hic, parerga potius expectet; Elogia, hoc est Laconismos, quibus multa dicuntur non multis. Quanquam interim ego pleraque, imo omnia attingo, quæ titulis meis subsunt, sed in puncto quodque, preterque hoc magis quàm premo, vt orbis planum.

EV-

# EVLOGIVM
## PRIMVM.

# D. FRANCISCO
# ASSISIATI
## ECCLESIAE
## ATLANTI.

Qui imminẽtem Laterano ruinam
subiugali relligione retroegit.
Iam inde
Immortalitatis candidatus
nesciuit in cineres solui
ne templi architectura æternitati
præparata
Arenæ niteretur
Ipse ex traduce mercaturam
professus
tum

Tum chariſſimè ſua vendidit
cum ex charitate donauit.
Vt maximè auidus
omnia erogauit
tot opibus inopiam mercatus,
ipſis etiam veſtimenti exuuijs
indueret nuditatem,
niſi interim purpuram pudoris
obduxiſſet.
Ad militiam crucis cataphractis
inuitatus
Sui victoriam in ſuo patre incepit
cum Natura luctatus.
Lenocinantem Venerem
Vulcani obiectu
noua antipathia
flammas flammis fugauit:
Ipſe interim cælebs magis quam
ſterilis
niueam ſobolem adoptauit.
Nā quid gigneret Veneris victoria,
niſi virginem fœcunditatem?
Sed tum vel maxime puritatis ſuæ
niues prodidit,
cum igneam quadrigam quaſi

Salamandra sustineret.
Par Paridi
Quin superior:
Tres virgines, *Ideas* vtique totidem
votorum
per viam conspicatus,
nullam elegit, vt omnes colligeret.
Totus Euangelicus
nisi legis sacramenta seruasset.
Ita exactè edocto mansuetudinem
miscere seueritati
*Apparuerũt Moyses, & Elias cum
eo loquuti.*
Martyrum aureæ auarus
nequidquam in Syriam traiecit;
Vnde passionis palmam non
retulit, sed distulit
meliori carnifici reseruatus.
Etenim Dominus iam tum inter
Seraphim gloriosus
Illi Cruce fixus incubuit,
vt ille inde dedisceret
In alio quàm in Cruce gloriari
Inde auceps Aluernæ illum
Quincunce pharetra confixit,
argu-

argumentum amoris indulgens
societatem dolorum:
vnde ille diuinitus decussatus
Crucem quocunque seipsam
baiulabat,
semper moribundus, ne semel
moreretur.
Christum, vt in plagis, sic in
antidotis sequutus,
Cælo paracletũ Angelũ accersiuit;
Quo fidicine fretus,
primo ictu tanquam præcoci
fructu perculsus
ostendit Paradisi delicias hic edi
non posse,
sed prodesse esuriri.
Ab obitu
tot seculis sospes,
ipsa mortalitate immortalis,
hoc est hiatibus
carnis integritatem assequutus
spirante cadauere
Mortem in triumpho circũduxit,
quę aculeum suum in illo
experiri potuit,

nesci-

nesciuit extrahere;
nec stimulum suum iactare,
nisi cum victoriæ iactura.

# EVLOGIVM SECVNDVM

# D. ISIDORO AGRICOLAE MATRITI SVI *PATRIAE PATRI.*

Quam ille tam fæliciter seuit,
vt iam in ea Reges nascantur,
Et quidni cresceret rus hoc colono
qui Angelis medius quasi
melior arabat?

quin

quin iſte meſſuit, quod illi
ſeminabant
non lucrum ſed laudem
viſi arare,tantum vt viderentur.
Ita ſpiritus ſibi adminiſtratorios
fecit,
& Angelos Cuſtodes
etiam armentorum:
Dignior Paradiſo quàm
protoplaſtus,
quem iſte ad ſe attrahere auſus eſt,
ille nec aſſeruare.
Ipſe agricola agri inſtar
fodi debuit, & coli vt coleretur:
ex humo ſiquidem ſummũ ſcandẽs
ſeruam duxit ſeruitutem.
ligones ſcipionibus æquauit,
Et quid eo imperioſius
quem ſaxa ſenſerunt
dum ſtimulo icta,torrente fleuerũt?
Maior agricola
grana in terram caduca,
nec dum mortua multiplicauit,
& auxit quibus debuit decreſcere
conuiuium conuiuis.

Minor homine
Vxorem adhibuit, qua iumentum
fieret
in coniugio subiugalis:
sed admisit eam tantũ vt dimitteret
meriti materiam,
vt difficilius egeret
quem inopem copia vidisset.
Ecce autem elemẽta fidem seruare
illo alia abstinuerunt
qui ignem absterſit
Lustris octo, Terræ, Auræ, & Aquis
suppositum nec succumbentem,
prædam suam insensata senserunt.
Aris admouendus
Aera sine ædituo impulit,
Vt Cælo ei arridente Terra tonaret,
& auspicio resurrectionis
mortua animaret
Vixit inopum exemplo,
Obijt Patriæ præsidio
victurus
fama temporis
fælicitate æternitatis.

EV.

# EVLOGIVM TERTIVM

## D. EVSTACHIO BONAVENTVRÆ.

Scriptorum Phoſphorò,
Sanctorum Coryphæo.
Qui Eccleſiæ alumnos
quà pigros, quà palantes correxit
Catholicæ Doctor
Schiſmaticæ reductor.
Cui olim adoleſcēti Parca pepercit
(mortem minata)
vt adulti merita immortalitate
muneraret
Miraculo prouectionis;
Qui honores vitando inuitauit,
faſtigium declinando inclinauit,
dignitates dedignatus accerſiuit.

Alios vmbrę inuitos insequuntur;
hunc fulgor Fortunæ,
quæ vt insita leuitate altum
ad Magnates metatur,
ostendit se Bonauenturam
inuenisse potius magnum
quàm fecisse.
Ita ille Purpurę prius compos
quàm candidatus
meliore murice verecundiæ
ad ipsam ante ipsam erubuit.
Admisit eam tamen in ornamentũ
virtutis,
vt humilitatem magnifice paludatã
in preciosa supellectili seruaret.
Eboracensem sedem irritante
prouentu repulit:
Albanensem suffragante penuria
admisit
quia pascere duntaxat esuriuit.
Enimuerò hic is est, qui
vt Opt. Pontifex esse posset
Max. esse noluit,
Et (nescias quid) supra summum
adeptus

Beatius duxit tiaram dare
quàm accipere,
& fecisse Pontificem, quàm egisse
Cuius inimitabilis intellectus
quasi Firmamentum
scientiarum Phrygionia tanquam
stellis vermiculatum
solum nescire nesciuit.
Quasi hemisphęrium rutilans
noctuum seculum illustrauit,
illustre inflammauit,
monendo mouens.
Cuius ingeniosa acies acroamaticis
disciplinis Aristotelem reparauit,
Politicis Platonem,
Trismegistum diuinis:
Siquidem ei causarum conscientiã
Natura permisit.
Aristotele familiarius
Musæ animorũ pulsus attrectãdos,
icones intuendos præstiterunt
Platone profundius.
Arcana mysteria inuolucro abiecto
obięcta
apprehendi sę passa,
com-

comprehendi non posse mōstrarūt.
Trismegisto diuinius
Dignè Doctor Seraphicus audiret
nisi quid supra Seraphim ausus
sine alis volasset.
Dum Francisci sui fastos digereret
nullibi eum melius expressit,
quam in seipso,
qui in aera elatus
pleno inani pependit
terram ne vestigio dignatus.
Magno testimonio formæ suæ
fretus, aliena cæcitate
non est visus Alexandro
in Adamo peccasse
(Alensi inquam) vtpote
aptissimo qui de his coloribus
iudicaret.
Ab homine supra homines positus
ab Angelo inter sanctos relatus,
hoc est ab Aquinate,
Cui fœcunditate pariter,
& facundia sua attonito
ostendit armarium suum, Crucifixi
patibulum,

a quo deinde vterque edoctus
tanquam duo discipuli in Emaus
migrantes
vno *Verbo* omnia audierunt
A morte etiam serpentis prudentiã
peritus
CLX. annis integrum
caput corruptioni subduxit,
vtique vt esset in quo corona
locaretur.
Quin ipse aliquando fœtum
exanimem animauit,
vt mors quæ cum homine ausa
est nasci
disceret ante hominem mori.
Denique ad hunc sub vitæ vesperã
velut olim ad Apostolicum Senatũ
*Cum sero factum esset, intrauit*
IESVS *clausis ianuis*,
quando ab oris cõmunione arcitus
per costas eius compendio ad cor
penetrauit,
ab osculo præpeditus
in amplexus properauit.
At enim illi efferẽdo, ipsius calamo
hoc

hoc est calculo, aræ ignibus
in articulis Seraphicis candicanti
esset vsus,
vt compendio sciretur
in ortu pæne mortuus,
in vita plusquam vir,
in morte supra mortalem.

# EVLOGIVM QVARTVM.

## D. CLARAE ASSISIATI


Venustate Veneri
Verecundia Vestæ:
puritate inter matres virgini,
fœcunditate supra virgines matri.
Quæ masculo animo pari ausu
virtutem sexibus vindicauit.

Orbem Academijs complexa
Aſſiſij primam aperuit
rigore Spartam
honore Romam.
vbi virgines viſura
vrbs vrbe exulauit.
Prius oraculo quàm vtero edita
prophetia parentibus innotuit.
ne tanta *lux* temere oriunda
Orbem inopinato perſtringeret
Ipſa Illuſtriſſima
(vt lux in tenebris luceret)
Vmbria decuit oriri.
Homini ad imaginem Dei facto
nouo Adam adiutorium data eſt
vt in penuria haberet parem
*Erant* enim *vterque nudi, & non erubeſcebant.*
Triumphatura de mundo
Vexillum leuauit Dominica
Palmarum.
Vt (quod aiunt) a capite inciperet
coma tonſa vellus aureum auulſit;
procanti ſeculo emiſſiones ſuas
remittens.

Odit amari
Virgo ſapiens, & prima de numero
prudentum
deſipere dicebatur:
patrimonium paupertatis ambiens,
vehementer in *Nihilo* aucupando
occupata,
Sed quid peteret pauperi Deo
deſponſanda
niſi penu penuriæ:
vt tota dote eſſet indotata?
Quanta ratio fæminæ!
Quæ vis orationis!
Tam grauis vt ſororem ſiſteret,
Tam leuis vt cælum ſubiret!
Quæ irruentium Thracum
perculit oculorum & armorũ acies
quum commeatu armata
Leuitici Ordinis Virago
Tabernaculum noui fœderis ferẽs
Sole pugnauit.
Ibi illa Chriſti conſcia
etſi Sacramento ſecreti
cordis munditiẽ meſſuit in viſione
Tantæ Claritati quid eſſet obſcurũ?

Iterum Asſiſi obſeſſi miſerta
Patriæ mater
Saracenos ante pugnã expugnauit
Sororum acie ordinata
Amazones eduxit,
quæ temporibus cinere ſordidatis
Barbaros quaſi in feretro extulerũt
Duo-de triginta annorum morbis
luctata
Tot monilibus non muliebriter
munda
Ad cælum, vnde venerat, volauit.
In tranſitu autem vt exciperetur
pari ornamentis ſuis apparatu,
hoc eſt lilio cum roſis,
Cælum ei candicantes Virgines
circumſudit,
Terra purpuratos Patres.
Ita Hieruſalem de Cęlo
deſcendentem ingreſſa
ſeipſam in patriam pręuenit.
Virgo prudentisſima
ſingulari ſtratagemate
Oſtendit altitudinem eſſe in imo,
quum Pontificis palmas amplexa
plan-

plantas ambiuit
Pronior in vestigio fastigium
adorare.
Illius interim
patria quas cõtulit, exuuias accepit,
scilicet sepulchrum:
nimirum degit in membris illis
mortua Mundo, etiam sibi
anima vix animata
nisi cum cadauer exanimasset.
Ita illa auida egestatis vt sibi nihil
linqueret
ne sui quidem.
Authori animam
corpus terræ tradidit
Nescijt paupertas in moriẽte mori.



# EVLOGIVM QVINTVM.

## IOANNI DVNS SCOTO DOCTORI MAXIMO.

Niſi mallet *Minor* eſſe,& *Subtilis.*
Cuius ortus tanquam Nilio rigo,
neſcit prodi, vt ſciatur Paradiſo
prodijſſe.
Qui acumine ingenij numeros
annorum in compendiũ contraxit:
præcoci ſenectute
decrepitam degit inter crepundia,
in cunis canus.
fructibus autumno deſperando
debitis
æſtate anteſolutis,
multiplicato maturè fętu effœtus
dum floreret defloruit.

Tan-

Tanto ſpeculatiuę Theologię
Oraculo,
vt ſolus duceretur qui ſcholis
præeſſet.
Tanto contemplationis exceſſui
aſſueto,
vt ſolus duceretur qui ijs abeſſet.
Qui
In myſticæ quadrigę vectorum
quaternione
loca ſingula occuparet
niſi omnia exceſſiſſet:
Tam ſolido fundamento nixus
vt quadrupes crederetur;
Tam alte aſpirauit
vt volaſſe iuretur
Aquila vtique eſſet niſi Phœnix
fuiſſet.
Qui
pluuia ſapientia deſuper acta ictus
Ambroſiam potauit:
Auguſto ambitu omnia cōplexus,
Auguſtinus audiret
niſi vindex Virgini deſtinandus
iam tum vindicijs viduatæ

Ioannes esset dicendus,
*Et accepit eam discipulus in suam*
cliens patronam
vt illa in Doctore deinde reciperet
cliente patronum.
Quin illi magna mater quasi
minor Minore
caput inclinanti inclinauit,
vt Scoto, & scholæ eius, hoc est suæ
cælesti arcu æternum fœdus feriret.
Ergo vt virginis cunabula curaret
In Coloniam Agrippinæ
opportune deductus
Imperatoris Matrem ab ortu
nobilitauit.
Cui vt crederetur defendendæ
natus
defensæ est defunctus
Sacramētū Marianæ Conceptionis
sua morte muniuit
Homo missus à Deo
vt lumen adhiberet testimonio
credenda reddidit credibilia.
Fidei obscurum ita rationibus
illustrauit,

vt

vt infideles impulerit intrare:
Intrantes ita ad se traxit,
vt etsi adhuc aliquis Thomæ esse
possit
Sed nemo Dydimi.
In bicipiti Parnasso sapientiæ
supernaturalis
posterior ad verticem venit,
sed peruenit ad priorem.
Cuius etiamnum adolescentis
doctrina
quasi veris rosa,
odore famam,
vigore formam
solo cortice præfert difficultatem,
penetranda vt probetur,
penetrabilis vtique quia *Subtilis*



# EVLOGIVM SEXTVM.

## VRBANO VIII.

## PONTIFICI VERE ROMANO.

Qui Orbem Imperio complexus
ab Vrbe voluit definiri
Quem imitata Naturam Fortuna
floribus primum excepit:
Ita Mundo futurus in Patrem
Florentiæ paritur;
Ecclesiæ acturus pastorem
à Nazareth auspicatur.
Ipse adeptus Vrbis regale
Sacerdotium
parem sibi sedem sortiretur,


atinè
rida,
l Flo.
tia.

Nisi

Nisi illa accepisset Superiorem.
Adsit Anaxagoras,
Et Mundos in Mundo meditetur:
nos Monarchas nō multiplicamus
in Vrbano adepti
æquam multitudini vnitatem.
Cuius canora poësis
Pontificiam Regiam reddidit
vere Vaticanam.
Ita Heliconis areas Hesperidum
hortos
Apum auspicio, vt libuit libauit.
Ambrosiā legit, aconita ablegauit
Musarum amœnitatem amplexus,
petulantiam perosus;
Odas edidit
Maiestate supra Sophoclem,
Pietate prope Dauidem:
Latiæ eloquentiæ laudi
Græcæ gratiam aggregauit.
Cui ad apicem Pontificatus ne iotā
deesset
calculos vno minus vnitos
rursum repeti petiuit
Beatitudinē periculo prosequutus
cuius


cuius muta virtus
in vultu vocalis
pulchrum suffragium addidit
Augusto ad Imperium,
quum tam speciosi animi imago
in speculo corporis
non possit mentem mentiri
Ipse fastigio ipso superior
tanquam Tarquinius supremum
Senatum infra summum iacentem
*Eminentia* eleuauit.
Quin vt Iuppiter alter, ornatu
armatus
cælum suum cælari voluit
Arietibus, Sagittarijs,
ferrum quasi fulmina cudi curauit;
ne quãdo Gigantes in Iouem
membrorum immanitas
quasi *Pelij Ossa* animaret
Ita intra Vaticani sui aluearia
aculeis atrium destinauit;
Vt qui melle non mitescerent,
armis asperarentur.
Apud quem versa vice
Pontificia Fortuna quasi Tyberi

ad Tuscos traiecta
exuta talaribus
pilam proiecit,
vt impotentia immobilis fato
sisteretur
Ita diutissime præsidentem
monogamia coniugans
tot procis petita
diuortium dedignatur.
Vitæ diuturnitate dignissimo
famæ æternitate donato
BARONIVS
Vrbani sui
gloriæ Orbem ambienti
Sanctitati cælo destinatę
P.



EV-

# EVLOGIVM SEPTIMVM.



ERANCISCO
CARDINALI
BARBERINO

Qui rariſſimo diuortio
collibus tumorem
flammæ fumum abſtergit;
hoc eſt,
Fortunam ſine faſtu,
Eminẽtiam ſine inuidia ſuſtinẽti.
Quanquam interim illius Eulogia
Eruere arduum,
Vulgare vetitum,
credere pronum.
Quibus nemo niſi ſuo damno
detraxit

quia

quia confeſſam Reip. fidem
nemo niſi priuata perfidia laceſſiuit
Cuius in tanta magnitudine
moderatio
ambientium impetum obtundit,
Cum vix quiſpiam tam proiectè
audax
ſperet illi
vt Fortuna ſic fama ſuccedere.
Qui ad purpuram præter votum,
ſed propter virtutem vocatus
oſtendit ſe non ideo eam meruiſſe
vt indueret,
ſed induere quia meruiſſet.
Summa continentia in ſumma
libertate
Probat ſe fælicitatem tanquam
frenum aureum excepiſſe
quo priſtinæ virtuti nihil niſi
precium acceſſiſſet.
Magno oneri pari honore
exprimit Eccleſię primitiuos Patres
maieſtate publica,
paupertate priuata.
Continentiſſimos illos antiquitatis

Coryphæos
Lentulos, Fabios, Cicerones
aſſequutus prius quam imitatus,
definitam nominibus frugalitatem
re vera, (ſua ſcilicet) inſtaurans
aperit frugalitatem ſine ſordibus,
virtutem ſine vocibus conſtare.
Nobiliſſimis inſignibus ſemper par
niſi cum ſuperior,
Apum ſuarum aculeum ambroſiæ
(puta vtile dulci) immiſcens.
Dignitatis apicem dignationis
illecebra temperauit.
Congeſto vndique Orbis penu
librorum
Bibliothecam Pergamenis,
& Philadelphijs
ſi minus extulit, æquauit.
Ita domi ſuæ cum Hyblam haberet
Heliconem inuexit.
Patrui Opt. Max.
potentia magnitudinem,
probitate bonitatem
ipſum
Vrbanitate nomen exprimenti

Ter-

Terram vestigio terenti,
cælum fastigio ferienti,
BARONIVS
hoc quantulum est
officij argumentum
gloriosis eius insignibus appendit
cultu immortali,
obseruantia infinita,
gratitudine æterna.



# EVLOGIVM OCTAVM.


## ANTONIO CARDINALI BARBERINO.

Cuius munificentia tanquam
Midę manus
obuia auro beauit
quasi Amalthęę ęrarium
omnia continens, omnia
communicauit
magnificā philosophia
illa tantum superesse sibi ducens
quę dedisset.
Cuius Geniū ad omnia ingeniosū
Dia prudentia huc vsque togatum
quasi ensem vagina conclusit
vsquequo cum militantis Ecclesiæ
vsus


vſus eduxiſſet
Ipſe Marcos, & Antonios caſtris
in ſe inferens
oſtendit veterum Romanam
virtutem
non temporum fuiſſe ſed hominũ;
anteriorum magis quam Maiorum
Ita armatas legiones ſecum tanquã
ſeſſor circumducens,
vt videretur fręnare imperio,
imperare exemplo,
nihil ipſe à cęteris
niſi meritis & magnitudine
diuerſus
Ad actuarium honoris hanc
amplitudini appendicem attexuit
vt purpurã ſãguine adhuc tingeret
puluerem ſuo ſudore rigaret.
Nemini par niſi ſibi;
cæteros qua citrà, qua vltrà,
patientia ſupra militem, peritia
vltra Imperatorem.
Cuius virtuti hoſtica temeritas
materiam triumphi dedit,
militauit victoriæ dum reſtitit

voluntati.
ipſe identidem
Ex acie in vmbraculum ſuſpirãtis
Romæ ſuffragijs reuocatus,
probauit minus Vrbem ſine
Antonio,
quàm ipſum ſine Vrbe conſtare
Interim etiã toto hoc Marte maior
Hybernię trans mare, Galliarum
pręter Alpes Protector
tanto Continenti auulſos
Surium, & Sequanam
Hypoſtaſis ſuæ admiratione,
quaſi vnione commiſit.
Sanctitatis exemplum à maioribus
acciperet
niſi maximos haberet ęquales
Poſteris ipſe pulcherimam
hęreditatem tranſmiſit
fidem factis, veritatem virtute
ſuperauit
laudatiſſimis auſis latiſſimam famã
nouit admittere, neſcit amare.
Maximo Męcenati
BARONIVS
hoc

hoc quale quale obsequium offert,
ex animo, ex ęre:
Voluntate diues, facultate depressus
maximi affectus
minimum argumentum.



# EVLOGIVM NONVM.



MAGNIS MANIBVS
IOAN. HVRTADO
DE MENDOZA
MARCHIONIS.

Qui nobilissimæ origini
parem indolem adeptus,
dignam indole eruditionem,
vtroque virtutem;
Maioribus suis, vtrobique maior

inter principes ſapientia cluit
ſupra ſapientes principatu
Illuſtriſſima domo prognatus,
Inuidiæ
fœlicitate materiam dedit,
Calumniæ
ſanctitate ſubtraxit:
ita vndique luce paludatus
vmbram non emiſit.
Auitũ ſplẽdorem ideo participauit
vt debitum ſubiret proprij:
Fortunæ indulgentiam eo admiſit,
vt materiam acciperet virtutis.
Cuius verba factis grauida
ſacramentum compenſarunt;
acta pactis grandiora
fœlici perfidia in augmentum
degenerarunt.
Comitatis pellacia
ingenuos ad ſe inuitauit,
Contumaces coegit
meritorum magnete
eodem quaſi ferrum feſtinare.
Cuius benificentia
Ordinem Seraphicum,
hoc

hoc eſt, Orbem
Chriſtianum complexa
pariter cum Sole peregrinatur.
quaſi torrens per abrupta irrũpens
Alpes aſcendit;
precioſo ſtratagemate
quos Afer aceto,
Iber auro penetrauit.
vndiq; comitiorũ noſtrorũ comes,
tanquam inopiæ candidatus,
qui Ordini egeſtatem inuideret.
In Garſia parente
mari Magallanico egreſſus
Columnas Herculeas nondum
natus nactus
anguſtam epigraphen *Plus vltra*
protendit.
Chriſtiano ſtratagemate
perituræ gaſę
conſuluit prodigendo
in ſpem contra ſpem credulus,
quod etiam ſpargendo cõgregaret
Iamque autumnante ęuo eius
in tributarium ſibi cęlum cõceſſit.
quod fœcunda gratitudine

decumana fœcunditate
Ex semine misericordię iustitiæ
messem reciprocaret,
Et quid ni ita conijciamus
*Cæli-Ara*-id ominante
quà ei obnoxius Ordo
iusta iustissimè in Odeo suo soluerũt
tanquam ipse interim sibi par
ęternum Capitolium calcaret
Adeo mortem vitę omnis mastigẽ
suæ funerari fecit;
Romanà Ephemeri
horas ab occasu auspicatus.
Quanquam etiamnum sepulti ossa
nondum exspirarunt
quũ testata moribundi testamento
immortali liberalitate,
adhuc in illis palpitat
vena misericordiæ,
spiritus charitatis.
Ita denique funus in sua terra,
famam in tota habet,
Inuidia præfica,
Gloria præcone
Illius vmbræ

Capi

Capitulum Seraphicum
Catholicum Romanum
Parenti parentans
L. M. P.
mærens merenti
1639.



# SENTENTIÆ
## Opuſculo inſperſæ.

1. Animus obſtinato ſtudio immobilis, velut lunatus arcus, ſibi equuleus eſt.
2. Nemo Reip. vtilior quam cuius otia ſunt vſui.
3. Factus homo eſt hominum figulus: pro plaſmate tali,
Naturæ voluit factilis eſſe faber.
4. Tunc impune vir eſt in fœmineo comitatu
Virginitas quando fœmina facta venit.
5. ——————— Nouit
Vncta Venus ſentes reddere, puncta roſas

Impatiens durare Venus quum fœdere rupto
Ipsa timet versas Diua cremanda faces.

6. ———— Sua copia damnat auaros
Plus quibus est, plus esuriuntur opes.

7. Quæ fera plus hominis, plus feritatis habet.

8. Instant fælici cognata pericula sorti
Durum supposito non titubare globo.

9. Omnis odorati per amœna rosaria Pœsti
Culpa decussandæ fit placuisse rosæ.

10. Quæ fragilem pascit depascitur esca vigorē,
Esca homini genitrix, esca homicida suo.

11. Pigra senecta pro est, insana iuuenta labori:
Impatiens regere est altera, & altra regi.

12. Passim Nasones, parcus in Orbe Maro est.

13. Virtus latebræ nescia sordidæ
Perrumpit obstantes tenebras,
Luce magis radians negata.
Est flamma virtus impatiens premi
Virtutis est laus luminis vt comes
It vmbra, constanter negata
Isse potens violenta passu.

14. Nobile securis scelus est imitabile terris,
Quod Cælis didicisse volunt, dum lubrica complex (omnes
Numen adulteria excusat, iam manat in
Immortale nefas: & quæ scelera esse priorū
Desierant, exempla manent. | ——— |

15. Non est ad superos pyramidum orbita,
Nec summo propior Pelius est graui
Ossa innexus apex. Itur in ardua
Prono calle. Thronus sollicitis fugat.

16, ———— Ista solo, solo
Fortunæ resilit pila potentius.

17. ——— Vaga sors in omnes.

18. Peccat indoctus misceri inultis
Occubat vmbris.

19. ——Non dura fames auri dispescitur auro;
Irritant positam pota falerna sitim.

ELENCHVS
# EPIGRAMMATVM
LIBRI PRIMI.
## TITVLO PRIMO.

CELEBRATVR CHRISTI DEI, ET D.N.



I 4 15.

CELEBRATVR.

15. *Ascensus in Cælos.*
*Eadem iterum.*
16. *Ascensus eiusdem, & Pentecostes Spiritus Sancti.*
17. *Pentecostes seorsim.*
18. *Sacramentum Corporis Dominici.*
19. *Denique addita elegia eidem extincto parētamus.*

## TITVLO II.

CANVNTVR SANCTI.

1. *Ioannes Euangelista.*
2, 3. *Bartholom. Apostol.*
4. *Gregor. Nazianz.*
5. *Pachomius Anachoreta.*
6. 7. *Augustinus* } *Ecc. Doct.*
8. *Hieronymus* } *Ecc. Doct.*
9. *Franciscus P. N.*
10. *Dominicus.*
11. 12. 13. 14. *Bonauentura Eccl Doctor.*
15. *Antonius Paduanus.*
16. *Casimirus Polonus.*
17. *Ludouicus Galliarum Rex*

*Rex Tertij Ord. S. P. N. Francisci.*

18. *Dermitius Molronus Hybernus Clonmeliensis.*

19. *Ignatius Loyola.*

CANVNI.

## TITVLO III.

CONCINVNT TVR SANCTÆ.

1.2. *Virgo Mater Maria.*

3. *Tecla V. & Mart.*

4. *Apollonia Virg. & Mart.*

5. *Maria AEgyptiaca.*

6.7. *Catharina Alex. V. & M.*

8. *Agnes Romana V. & M.*

9.10. *Brigida V. Hyberna.*

11. *Galla Romana.*

12. *Scholastica Virgo.*

13. *Elizabetha Tertij Ordin. S. P. N. Francisci.*

14. *Coleta V. 2. Ord. S.P.N. Francisci.*

15. *Virgo Orientalis anonima.*

16. *Angela de Fulgineo.*

# TITVLO IV.

SALVTANTVR HEROES.

1. 2. 3. *Vrbanus VIII. Pont. Max.*
4. *Eiusdem Nepotes, S. Isidori Protectores.*
5. *Ijdem Nepotes Cardinales Barberini.*
6. *Ijdem Protectores conuiuæ S. Isidori.*
7. *Nominatim Card. Franciscus Barberinus.*
8. *Diuisim Cardin. Antonius Barberinus.*
9. *Cæsar Cardinalis Baronius.*
10. 11. 12. *Guido Card. Bentiuolus.*
13. *Io. Baptista Alterius Cardinalis.*
14. *Faustus Polus Cardinalis.*
15. *AEgidius de Viuarijs Datarius Apostolicus.*

16.

SALVT.

16. *P. F. Benignus à Genua, Ord. Vic. Generalis.*
17. *Petrus Faxardus Marchio, & Orator Romanus.*
18. *Ioanna Gallica.*

## TITVLO V.

RIDETVR.

1. *Iuppiter in illius idolo.*
2. *Marcus, & similes moderni authores.*
3. *Pastor procàx.*
4. *Marcus ebrietate nutans.*
5. *Idem in fouea stratus.*
6. *Mercator Florentinus prodige auarus.*
7. *Salomon Rex.*
8. *Bacchus, & Minerua.*
9. *Doctor Theologus.*
10. *Claudius ad monachatum inopia compulsus.*
11. *Pastor palatij impatiens.*
12. *Regularis prædonem prædatus.*
13. *Fortitudo Herculis.*

RIDET.

14. *Statua Niobes.*
15. *Marcus nequidquam a Pontificatu fugitiuus.*
16. *Mutuus coniugũ ambitus.*

TITVLO VI.

PARENTATVR.

1. *AEneæ Troiano*
2. *Didoni Phœnissæ*
3. *Neroni Cæsari*
4. *Theseo.*
5. *Catullo.*
6. *Augusto Cæsari.* } *alien:*
7. *Samsoni Hebræo*
8. *Belisario Consuli, & Imperatori.*
9. *Carolo V. Imperatori Austriaco Augusto.*
10. *Alexandro Cardinali de Monte alto.*
11. *Gabrieli de Trejo Card.*
12. *Ioanni de Mendoza Marchioni.*
13. *Hannibali Duci Pœnorũ.*
14. *Manti Poetæ.*

PARENTATVR.

15. *Laurentio Baronio.*
16. *Infanti eleganti.*
17. *Lucretiæ Romanæ.*
18. *Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum Infanti.*
19. *Mariæ VVaddingæ.*
20. *Elizabethæ vetulæ.*
21. *Ipſa denique totius generis mortalitas vltima Elegia defletur.*



SY-

# SYNOPSIS
## potiorum Syluulæ.

### METRVM PRIMVM.

Num. 1. *Aperitur causa cantus: vt incumbat Authori celebrare Sanctum, qui ibidem inuocatione compellatur.*

2. *Compellatur encomijs suis Sāctus, & describitur Idololatria priorum gentilium in Hybernia, mutuatis Græcia, & Latio nominibus; quum barbara illa, ad metri leges stent obstinata, Hybernia olim Europæ Athenæ.*

3. *Confertur auroræ Apostolus.*

4. *Illo Euangelista, dæmonum cultus ibi desijt.*

5. *Celebratur adamantina nostratum in fide constantia, &*

*incipiunt proinde eorum pœnæ.*

6. *Opum rapina, & expilatio.*

7. *Facularum ambustio; partiaria membrorum cæsura.*

8. *Pœnitentiæ exercitia in nostratibus notabilia:*

9. *Nominatim abstinentia, & ieiunia.*

10. *Monachatus veterum Hybernorum Palestino collatus acrimonia, & alumnis.*

*Item eiusdem Virginum illustrissimus candor: viduarum proxima continentia.*

11. *Laus perennis priorum regularium in Hybernia, beatitudinis imago, & auspicium.*

12. *Describitur graphicè, & fuse famosum illud toto orbe Purgatorium in Septentrionali Hybernia Sancti Patricij precibus apertum.*

13. *Pœna ignis ibidem anteriorem ignem, hoc est libidinem depasta.*

14. *Nix desides vltã.*
15. *Inuidia talio.*
16. *Aliæ aliorum patientiæ.*
17. *Vna omnium; vbi immortalitas dãnatorum perstringitur.*
18. 19. *Sancti vere Thaumaturgi miracula varia, stupendã plurimã.*
20. *Denique desinit Panegyricus inuocatione S. Apostoli in opem suæ prouinciæ iam nunc extremo periculo pulsatæ.*

## METRVM DECIMVM

Descriptio nemoris Tusculani.

1. *Orditur pro more ab obiecti propositione.*
2. *Inuocationi annectitur admiratio deliciarum villæ, quibus illa olim iam Heliconem (tantum non imparem) occupauit.*
2. *Elysius paradisus putetur.*

3. Oc-

3. *Occasione eius diuersa Deorum domicilia perstringuntur.*
4. *Omnium amœnitates in villa compendio coiuerunt, adeoque Deorum deliciæ; Iouis in primis in artificiosa Iride.*
5. *Neptuni mentito diluuio.*
6. 7. *Chloridis & Charitum in florum verè vere.*
*Pomonæ in fructuum dulci vtilitate.*
9. *Syluestris musica villæ.*
10. *Diuersitate volucrum, vocum discrimina in exactam harmoniam coiuerunt.*
11. *Diuisim percurrit villæ particulas, orsus ab accliui ascensu XI. ab vrbe lapide.*
12. *Notat à foribus ruris plures placituras, atque adeo distracturas hospitem vias.*
13. *Arbores multæ hinc inde parallelæ.*
14. *Florum area varia, elegãs, amœna.* 15. *Sca-*

15. *Scala intestinis aquis vadosa vt incautos hospites pressa imbuat; vbi etiam animalium simulachra vtrinque laterum throno Salomonis collata. Illa vt infernè pluat, ad madentium ludibrium.*

16. *In summo rure ager gramineus, & gratissimus multa arborum varietate.*

17. *Specus aquatica artificiosis inuentis celebrata.*

18. *Aula academica Musarum describitur, & in ea villa fere omnis.*

19. *Ibi illæ amœnæ Camœnæ dulciter canoræ, Apolline choraulo, vocum differentijs in suauissimum concentum conspirant.*

20. *Organa hydraulica se ipsis mobilia ad legitimum melos.*

21. *Quibuslibet [illegible]pis, & Tempe Tusculum præfertur.*

ODA

# ODA PINDARICA
## S. LVDOVICI.

Num. 1. *Auspicatur ab Hungariæ origine, cuias fuit Sanctus Episcopus: vt olim Hunni, hodie Pannoni) in Scythia Europea super Mæotim paludem sedibus actis, inde totā pœne ipsam Europam victrici exercitu peragrarunt.* Vid. S. Hieron. ad Ocean.

2. *S. Ludouici magni Maiores cursim canūtur: Ladislaus, Stephanus, vterque SS. Hungariæ Reges. Alius item Ludouicus, & Sanctus, Rex Christianissimus Galliarum, cuius erat S. Frater ex fratre nepos.*

3. *Ex altero parente Regum Siciliæ sanguinem hausit; in qua ipse cū iure primogenituræ posset regnare, renuit, hic interim*

*Fratrum Minorum humilitatẽ amplexus, vt proinde olim æternitatis fælicitate frueretur. Agitur item non nihil de pœnitẽtiæ asperitate Sancti etiamnũ adolescentis.*

4. *Tantæ operę pretium custodia castitatis, quam illę sartã tectamque tuitus est, ne maternis quidem osculis delibandam. Obiter ibidem de corporis, seu formæ-dignitate, quæ in principe erat eximia.*


5. *Honoris ambitum vt repressit etiam oblati, infulas aspernatus; ita vtriusque fori dignitates est dedignatus; nõ inopes tamẽ, quibus pater ipse, & alũnus, patri suo occurrenti aliquando pullum gallinaceum, quem ipsis erogabat, rosis transmutauit.*

6. *Funus Diui miraculis celebratum; quorum agit agmen solẽne illud, & sacrum, quo cerea fax*

in-

*inhumato cadaueri affixa, & extincta, diuinitùs iterum arsit. Alia non item egent indicio nisi quà*

Graphice describuntur.



ROMÆ,
Typis Ludouici Grignani. 1645.

*Superiorum permissu.*

# LIBER SYLVVLAE SECVNDVS.

# Errata rata

| pag. | lin. | | legi |
|---|---|---|---|
| 20 | 25 | sc. | sic |
| 28 | 7 | panta | planta |
| 30 | vlt. | pauda | panda |
| 31 | 27 | h mo | homo |
| 40 | 12 | pæne | poene |
| 52 | 16 | Infauste | I. Infauste: |
| 53 | 8 | reuit | renuit |
| ibid. | 14 | pene | poene |
| 55 | vlt. | ilhum | illam. |
| 56 | 17 | At | Et: |
| 61 | 16 | potest: | potes: |
| 64 | 8 | Angustos; | Augustos: |
| 67 | 5 | præconi. | præconia |
| 70 | penult. | monet. | monet. |
| 76 | 14 | vrbis | vrbi. |
| 83 | 25 | bigat iāq; | bigat iam, iāq; |
| 93 | 4 | viretrum. | viretum |
| 99 | vlt. | dldicit. | didicit. |
| 102 | 10 | Eebi | Erebi |
| ibid. | 31 | fèret: | ferret |
| 104 | 24 | phalangæs | phalangas |
| 106 | 36 | vmbri. | vmbris. |
| 108 | 16 | uuet: | iuuet: |
| 115 | 14 | ignauo | ignauę |
| ibid. | 16 | facundam | facundum |
| 116 | 16 | rota: | rotas |
| 117 | 8 | &: | quum |
| ibid. | seq. | quum: | &. |
| 119 | 2 | loa. | lora |
| 120 | penul. | profluenti i | hic profluenti i |
| 122 | 13 | anfuilisq; | anulisque |
| 124 | 16 | compedem adamātinū | compedes adamantinos |
| ibid. | 19 | quāuis impotens | impotens quāuis |
| ibid. | penul. | lācinantes | lancinantis. |
| 125 | 10 | lucernæ | lampadi |

125

## Errata　rata

| | | | |
|---|---|---|---|
| pag.125 | lin.14 | charta sartago | sartago charta |
| ibid. | 22 | hominis silicer- | silicernium ho- |
| | | nium | minis |
| 126 | 20 | præditumq; | præditum |
| 128 | 29 | odipodionii | œdipodioniæ |
| 131 | 2 | decliue | accliue |
| 132 | 5 | Sytiæ | Scyticæ |
| ibid. | 16 | actu | *Actus* |
| 134 | 4 | Emoniæq; | Æmoniæque |
| 138 | 33 | ingens | ingenj |
| 142 | 28 | Africos | Zephiros |
| 144 | 27 | subtus via sciditsu | sùbscidit absis |
| 145 | 32 | aere | aera |
| 146 | 4 | humor | horror |
| ibid. | 26 | secti | sectæ |
| 147 | 8 | uumero | numero |
| 150 | 3 | scaphas | clauas |
| ibid. | 18 | lubasi | Subasi |
| 151 | 4 | virgineum | virginum |
| 152 | 4 | ilicetaq; | iliceta |
| 153 | 14 | satiine | satisne |
| ibid. | 18 | nouas | nouus |
| ibid. | 24 | ictus | nictus |
| 155 | 8 | vndeante | andanti |
| ibid. | 15 | lacerna | penula |
| ibid. | penul. | quando | quà |
| 179 | 13 | solido | solide |
| 190 | 2 | octaum | octauum |
| 198 | 20 | negata | negato |
| 209 | 8 | Chloridis | Chloridis |
| 213 | 13 | Chorus | Chloris |

Alia etiam facile irrepserunt, tum alias, tum amanuensis nescitu, & adoptione similium syllabarum, quarum tu Lector, Authorem saltim non damnabis.



